This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600007751Q

34.
601.

M. FABII QUINTILIANI

INSTITUTIONIS ORATORIAE

LIBER DECIMUS.

96

RECOGNOVIT ET EXPLICAVIT

GEORG. AUG. HERBST.

HALIS SAXONUM
IN LIBRARIA GEBAUERIA.

MDCCCXXXIV.

601.

PRAEFATIO.

Plures fuerunt causae, cur mihi etiam post Frotscheri praeclaram libri Quintilianei X. editionem operae pretium facturus esse viderer, si eidem libro cum emendando tum illustrando otium meum dicarem. Ac primum quidem displicuisse semper mihi fateor illam viri doctissimi rationem, qua annotationem criticam satis amplam ita cum verborum ac rerum interpretatione contexuit, ut lectores minus exercitati, quales fere sunt adolescentuli nostri, quum non sine molestia quadam quod quoque quaerunt loco inve-

niant, facile a perscrutandis commentariis deterreri possint. Deinde ex mea quidem sententia Frotscherus, ut in enumeranda ac recensenda codicum et editionum veterum scriptura satis diligens atque interdum, si discipulorum necessitates spectes, paene nimius fuit, ita in explicatione rerum, maxime earum quae ad technologiam, quam vocant, rhetoricam pertinent, haud pauca praetermisit, quae in rhetoricorum lectione minus versati vix intelligere queant. Tum in constituendis verbis scriptoris nimio plus tribuit tum Sarpii coniecturis tum auctoritati libri Turicensis, optimi sane omnium, qui adhuc innotuerunt, sed tamen non ita comparati, ut ubique eum tanquam certum quendam ducem sequi liceat. Denique, ut externum quoque incommodum quoddam commemorem, liber Frotscherianus, compluribus auctus excursibus atque Dionysii de vett. script. censura, quum totas viginti plagulas compleat, maiore constat pretio, quam quod discipuli fere in parandos libros pro curta sua suppellectile insumere possint.

Sed ut omnes istae causae futiles sint nulliusque momenti, tamen verendum mihi non puto, ne temere ac sine idonea ratione novam videar editionem suscepisse. Etenim tam acre est nostra aetate ut Graecarum sic Latinarum

literarum studium, tantoque hominum doctorum proventu Germania floret, ut valde mirum foret, si intra duodecim annos, quos eo ex tempore, quo Frotscherus suam editionem confecit (confectam enim non statim publicavit), praeteriisse constat, nihil prorsus esset inventum, quod futurus Quintiliani editor in suum commodum convertere posset. Verum enim vero per exiguum temporis spatium, ut alios omittam, tres potissimum extiterunt magni nominis professores, qui de Fabio optime meruerunt. Quorum *Gernhardus* institutionem oratoriam totam duobus voluminibus comprehensam edidit apud Teubnerum anno 1830., multis illam annotationibus maximam partem criticis instructam. *Zumptius* postquam editionis Spaldingianae Vol. V., supplementa annotationis et indicem continens, ad lucem emiserat anno 1829., continuo breviorem operis Fabiani editionem curavit, quae varietate scripturae Spaldingianae et brevi annotatione critica instructa prodiit Lipsiae 1831. *Herzogius* denique praemissâ libri X. interpretatione Germanica (Lips. a. 1829.), uno interiecto anno eundem librum recognitum et annotatione critica et grammatica instructum emisit. Altera autem huius editio quae fertur, a priore nihil differt, nisi levi inscriptionis mutatione et tegumento ex charta facto, quo bibliopola eam

M. FABII QUINTILIANI

TITUTIONIS ORATORIAE

LIBER DECIMUS.

ornavit. Verbo tantum memoro editionem Helmstadiensem, quam olim ab Henkio in usum scholarum paratam tribus abhinc annis personatus *Augusti*, iuvenis non indoctus, ita restauravit, ut commentarios adderet perpetuos, in quibus non multa quidem, sed inveni tamen, quae silentio praeterire nefas ducerem.

Hi igitur viri quae ad locos vel aperte depravatos vel dubios vel denique male intellectos cum emendandos tum explicandos attulerant, ea omnia diligenter exploravi et optima quaeque ac maxime probabilia cum selectis Gesneri, Spaldingii, Wolffii, Frotscheri aliorumque editorum atque interpretum observationibus uno quasi conspectu proposui, non dissimulata mei quoque iudicii summa. Qua quidem ratione id me consecuturum putabam, ut ne legentes necesse haberent plures sibi eiusdem libri parare editiones: quod idem non una de causa etiam in Xenophontis libris, quos ante paucos annos edendos curavi, praecipue in Convivio spectabam. Non aliud secutus ex *Ioh. Christ. Theoph. Ernesti* lexico Technologiae Latinorum rhetoricae permultos eosque haud raro longiores locos commentariis meis inserui, quum praeclarum illum librum ante quadraginta fere annos scriptum in paucorum iuvenum manibus

M. FABII QUINTILIANI

INSTITUTIONIS ORATORIAE

LIBER DECIMUS.

deinde *imitationem*, novissimam *scribendi* quoque
4 *diligentiam*. Sed ut perveniri ad summa nisi ex principiis non potest, ita procedente iam opere minima incipiunt esse quae prima sunt. Verum nos non, quomodo instituendus orator, hoc loco dicimus: nam id quidem aut satis aut certe uti potuimus dictum est: sed athleta, qui omnes iam perdidicerit a praeceptore numeros, quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit. Igitur eum, qui

---

§. 4. *perveniri*] Cum Tur. et Flor. Frotsch. scripsit *pervenire*. Cf. 6, 2. cl. 7, 18. — *sed athleta*] Sic Tur. et Flor. pr. m. cum Alm. Reliqui *sed ut athleta*. Pro *Igitur eum* in deterioribus libris *ita eum*.

---

4. *procedente iam opere*] int. institutionem futuri oratoris. *iam* pessime Herz. interpretatus est *natürlich*.

quomodo instituendus] Quod recentiores hic necessario interponere sibi visi sunt *sit*, differtur et post *praeparandus* demum comparet, quanquam duriore hyperbato, sed quo brevitatem et acumen quaesierit noster. *Spald.* *Orator* hic ostendit *artis oratoriae studiosum, futurum oratorem*. Cf. §. 35.

satis — dictum est] libris superioribus, in quibus institutionem ipsam omni a parte iam absolutam esse dicit. *Wolff.*

sed athleta — praeparandus sit] Verborum consecutio haec est: *sed* (dicimus), *quo genere exercitationis athleta, qui — numeros, ad certamina praep. sit*. Collocavit autem rhetor vocem *athleta* in fronte enuntiati ad augendam vim oppositionis. Gernhardus edidit *ut athleta*, Spaldingianam scripturam ferri non posse ratus, nisi forte credas, Quintilianum non oratorem, sed athletam praeparare inde ab hoc loco voluisse. Sed parum reputavit vir doctissimus, aliis quoque locis implicari similitudinem aliquam ipsi orationi et per insperatum adnecti rei, cui illustrandae inservit. Huius subito obortae comparationis exempla complura indicavit Spald. ad 7, 1; velut 3, 7. „si feret flatus, danda sunt vela." 7, 28. „Hoc, dum egredimur e portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paulatim simul euntes aptabimus vela et disponemus rudentes et impleri sinus optabimus. Id potius quam se inani verborum torrenti dare quasi tempestatibus, quo volent, auferendum." Saepissime autem rhetores translationes et similitudines ab re athlètica et bellica petunt propter certamina ac proelia, quae oratori in foro subeunda sunt. Cf. §§. 29. 31. 33. 79. 120. 3, 3. 5, 15. 17. 19.

numeros] motus ad decus compositos, quos palaestrici doctores discentibus tradunt. Senec. de Benef. VII, 1. „Magnus luctator est non qui omnes *numeros nexusque* perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit et eorum occasiones intentus exspectat. Cf. Quint. XII, 2, 12.

Igitur] iterum primo loco positum invenies §. 46., secundo §§. 39.

M. FABII QUINTILIANI

INSTITUTIONIS ORATORIAE

LIBER DECIMUS.

6 *horum.* Sed res propriae sunt cuiusque causae aut paucis communes, verba in universas paranda: quae si in rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria aut magis ornata aut plus efficientia aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promptu atque, ut ita dicam, in conspectu, ut cum se iudicio dicentis ostenderint, facilis ex his

---

quasi vel *tanquam — quidam* frequentat. V. Zumpt. Gr. L. §. 707. Grysar. p. 114.

6. *cum ipsis protinus rebus*] Dirimitur fere sic adverbio nomen adiectivum a substantivo suo. Cf. §. 33. „historico *nonnunquam* nitore." §. 38. „de Romanis *tantum* oratoribus." §. 41. „intra primos *statim* versus." §. 104. „elatum *abunde* spiritum." §. 116. „insignem *non immerito* famam." §. 120. „clarissimum *profecto* nomen." 2, 7. „lineas *modo* extremas." 2, 8. „nostra *potissimum* tempora." 3, 2. „inanem *modo* loquacitatem." 3, 31. „optimi *nonnunquam* sensus." 5, 7. „continuas *nonnunquam* sententias." Ibid. „plurimaeque *eodem* viae ducunt." 7, 3. „tota *subito* causa mutatur." 7, 28. „pro sua *scilicet* portione." Cf. etiam 5, 15. „historiae *nonnunquam* ubertas." Adduntur adverbio etiam alia vocabula, ut 1, 3. „maximi *protinus erit* momenti." 73. „laudem *paene est* parem consecuta." 7, 11. „totos *simul in lectione* versus." Non minus frequens est ille usus, quo adverbia interponuntur verbis per *et* vel *que* iunctis, ut 1, 9. „nam et humilibus *interim* et vulgaribus opus." §. 30. „mens *simul* visusque praestringitur." §. 44. „pressa *demum* et tenuia." §. 62. „in agendo *simul* loquendoque."

aliis alia — magis propria] Aristot. Rhet. III, 2. ἔστι γὰρ ἄλλα ἄλλου κυριώτερον. Pessime Herzogius: „Aber da *für diesen und jenen Fall* immer andere theils *geeigneter* — sind." Videtur interpres ille *aliis* pro dativo habuisse. — *Propria* verba sunt certa quasi vocabula rerum, quibus opponuntur translata et assumta. Cf. §§. 29. 64. 5, 8 cll. 1, 46. 121. 5, 4.

non solum — sed] Sic Graeci οὐ μόνον — ἀλλά, si posteriori membro maior quaedam vis tribuitur. Cf. §. 8. Pro simplici *sed*, ἀλλά, infertur *sed etiam*, ἀλλὰ καί, si utrumque orationis membrum pari vi praeditum est. Cf. §. 13. *Non tantum — sed* legitur 8, 20. 5, 5. 7, 16. Apud Ciceronem *non tantum* minus frequens quam *non solum*.

ut ita dicam] VIII, 3, 37. „Si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est, *Ut ita dicam*, *Si licet dicere*, *Quodam modo*, *Permittite mihi sic uti*. Quod idem etiam in iis, quae licentius translata erunt, proderit, quae non tuto dici possunt." Praeterito quoque tempore scriptores in hac formula utuntur, ut 2, 15. „solam, *ut sic dixerim*, cutem." Cf. Plin. Ep. II, 5, 6. „huius, *ut ita dixerim*, tristitiam." Abstinuit hoc remedio Qu. in simili loco VIII. prooem. §. 28. „ut semper in promtu sint et ante oculos."

M. FABII QUINTILIANI

INSTITUTIONIS ORATORIAE

LIBER DECIMUS.

6 *borum.* Sed res propriae sunt cuiusque causae aut paucis communes, verba in universas paranda: quae si in rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria aut magis ornata aut plus efficientia aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promptu atque, ut ita dicam, in conspectu, ut cum se iudicio dicentis ostenderint, facilis ex his

---

quasi vel *tanquam — quidam* frequentat. V. Zumpt. Gr. L. §. 707. Grysar. p. 114.

6. *cum ipsis protinus rebus*] Dirimitur fere sic adverbio nomen adiectivum a substantivo suo. Cf. §. 33. „historico *nonnunquam* nitore." §. 38. „de Romanis *tantum* oratoribus." §. 41. „intra primos *statim* versus." §. 104. „elatum *abunde* spiritum." §. 116. „insignem *non immerito* famam." §. 120. „clarissimum *profecto* nomen." 2, 7. „lineas *modo* extremas." 2, 8. „nostra *potissimum* tempora." 3, 2. „inanem *modo* loquacitatem." 3, 31. „optimi *nonnunquam* sensus." 5, 7. „continuas *nonnunquam* sententias." Ibid. „plurimaeque *eodem* viae ducunt." 7, 3. „tota *subito* causa mutatur." 7, 28. „pro sua *scilicet* portione." Cf. etiam 5, 15. „historiae *nonnunquam* ubertas." Addunter adverbio etiam alia vocabula, ut 1, 3. „maximi *protinus erit* momenti." 73. „laudem *paene est* parem consecuta." 7, 11. „totos *simul in lectione* versus." Non minus frequens est ille usus, quo adverbia interponuntur verbis per *et* vel *que* iunctis, ut 1, 9. „nam et humilibus *interim* et vulgaribus opus." §. 30. „mens *simul* visusque praestringitur." §. 44. „pressa *demum* et tenuia." §. 62. „in agendo *simul* loquendoque."

aliis alia — magis propria] Aristot. Rhet. III, 2. ἔστι γὰρ ἄλλα ἄλλου κυριώτερον. Pessime Herzogius: „Aber da *für diesen und jenen Fall* immer andere theils *geeigneter* — sind." Videtur interpres ille *aliis* pro dativo habuisse. — *Propria* verba sunt certa quasi vocabula rerum, quibus opponuntur translata et assumta. Cf. §§. 29. 64. 5, 8 cll. 1, 46. 121. 5, 4.

non solum — sed] Sic Graeci οὐ μόνον — ἀλλά, si posteriori membro maior quaedam vis tribuitur. Cf. §. 8. Pro simplici *sed*, ἀλλά, infertur *sed etiam*, ἀλλὰ καί, si utrumque orationis membrum pari vi praeditum est. Cf. §. 18. *Non tantum — sed* legitur 8, 20. 5, 5. 7, 16. Apud Ciceronem *non tantum* minus frequens quam *non solum*.

ut ita dicam] VIII, 3, 37. „Si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est, *Ut ita dicam*, *Si licet dicere*, *Quodam modo*, *Permittite mihi sic uti*. Quod idem etiam in iis, quae licentius translata erunt, proderit, quae non tuto dici possunt." Praeterito quoque tempore scriptores in hac formula utuntur, ut 2, 15. „solam, *ut sic dixerim*, cutem." Cf. Plin. Ep. II, 5, 6. „huius, *ut ita dixerim*, tristitiam." Abstinuit hoc remedio Qu. in simili loco VIII. procem. §. 28. „ut semper in promtu sint et ante oculos."

optimorum sit electio. Et quae idem significarent? solitos scio ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, effugiendae repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset. Quod cum est puerile et cuiusdam infelicis operae, tum etiam utile parum: turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque.

---

§. 7. *Et — ediscere*] Col. exhibet vulgatam ante Spald. *Equidem scio quosdam collecta, quae idem significarent, vocabula solitos ediscere. — breve intra spatium*] Codd. *breve intra semet ipsum*. Fr. correxit *brevi infra semet ipsum*. At Gernhardus: „Mihi, inquit, videtur in *semet ipsum* latere et contractior vox *spm* h. e. *spatium* et *id ipsum*, quo opus est propter oppositum *aliud* quod sequitur."

---

7. *solitos*] Ne cum Buttmanno desideres *quosdam*, cf. §. 56. „Audire videor undique *congerentes* nomina plurimorum poetarum." Nimirum vis pronominis indefiniti inest participio.

occurreret] *se ostenderet, se offerret, in mentem veniret.* Cf. §. 13. 3, 11. 88.

cum — tum etiam] 3, 26. „*cum* in omni studiorum genere; *tum* in hoc *praecipue* bona valitudo .. necessaria est." Cic. Orat. 32, 117. „*cum* explanatius, *tum etiam* uberius." Sic *vero*, *inprimis*, *maxime* particulae *tum* subiiciuntur; saepius tamen reticentur. Cf. §§. 60. 65. 68. 84. 101.

infelicis operae] Cf. VIII. prooem. 28. et XI, 2, 49. „haec rara infelicitas." *Sp. Infelicia* passim apud Qu. dicuntur, quaecunque ingenii, facilitatis, boni successus iusto minus ostendunt, ut in ipsis miseria quaedam et paupertas appareat. Eodem. redit *infelicitas*. Cf. 3, 10. 7, 14. *Wolff.*

congregat — occupet] Non opus est coniectura Gensleri *congregant — occupent*, sc. *soliti illi*. Ipsum illud, quod dixit, puerile in opera cernitur congregandi et occ. Cf. 2, 11. *Gernhard.* Frotscherus ad *occupet* intelligi volebat *qui hoc artificio utitur*, collato loco Cic. Brut. 57, 209. „Cum autem difficile sit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non *conveniat*." Sed eo loco verbi *conveniat* subiectum facile elicitur ex infinitivo *dicere*, in quo latet indefinitum subiectum *aliquem*. Cf. infra 2, 24. „Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia *sequatur*, addicere." Opportunius Frotscherus laudare poterat 7, 25. „Est alia exercitatio cogitandi totasque materias vel silentio, dum tamen quasi *dicat* intra se ipsum, persequendi." Constat autem, utriusque linguae scriptores saepe a plurali subito transire ad singularem, et contra. Cf. ad §. 7, 6.

10 Haec ut sciamus atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus, et ubicunque erunt posita, an conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi nullo modo possumus, cum omnem sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod infantes a mutis nutricibus iussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quaedam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. 11 Sunt autem alia huius naturae, ut idem pluribus vo-

---

§. 10. *et ubicunque*] In nonn. libris est *ut ubicunque*. Itaque Gernhard. scripsit *et ut ubicunque*, om. sequ. *an*, quod in sola Camp. legitur.

---

aut ordinis. *In quo vitio cavendo non mediocriter errare quidam solent, qui omnia, quae sunt in usu, etiamsi causae necessitas postulet, reformident.*" Cf. 5, 4. „verba poetica libertate audaciora non praesumunt *eadem proprie dicendi* facultatem." ubi *eadem* praecedens *verba* ita spectat, ut de *rebus*, quae verbis illis declarantur, intelligendum sit.

10. *non — modo, sed — etiam*] Dirimi haec solent a Quintiliano interposito uno pluribusve verbis. 1, 55. „*non* forum *modo*, *verum* ipsam *etiam* urbem reformidat." 2, 23. „*non* causarum *modo* inter ipsos conditio, *sed* in singulis *etiam* causis." 6, 2. „*neque* vero rerum ordinem *modo* .. disponit, *sed* verba *etiam* copulat." 7, 8. „*non* velocitas illa *modo* tardatur, *sed* ipsum os *quoque* concurrit." Nec tamen illud *etiam* in finem enuntiationis relegatur. Sic 8, 15. „*non* exercitatio *modo* praestabit ..., *sed etiam* ratio." 7, 19. „*non* in prosa *modo* .., *sed etiam* in carmine."

formas] τὰς πτώσεις τῶν ὀνομάτων καὶ τὰς ἐγκλίσεις τῶν ῥημάτων vocat Dionys. Hal. Comp. Verbor. 25. p. 402. ed. Schaef. De declinandi ratione intelligendas esse illas formas, ab ipso Quint. I, 6, 15. disci potest.

mensuras] τὰ μήκη καὶ τοὺς χρόνους (Dionys. l. l.), intellige de prosodia, de modo numeroque cuiusque verbi.

multa lectione] Cf. §. 59. et 7, 4.

infantes a mutis nutricibus — educati] Graece dicuntur θηριόθρεπτοι. Admonent interpretes Psammetichi regis pastori tradentis infantes, caprino ubere nutriendos, qui mox βεκός pronuntiant; quae fabula est apud Herodot. II, 2.

11. *Sunt autem alia*] *Alia* nil esse possunt nisi *verba*. At sic mirari oportet, quod in iis, quae subsequuntur, *ut idem pluribus vocibus declarent*, discernuntur *voces* a verbis. Si *plura* legeretur pro *pluribus vocibus*, non esset quod offenderet. *Wölff.* Frotscherus *idem pluribus vocibus declarare* graeco more dictum putat, ut sit *idem significare, quod plures voces* vel *idem cum pluribus vocibus significare*. Sed quum ille Graecismus rarissimus sit vel apud

cibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit, ut *ensis* et *gladius*: alia, quae, etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικῶς quasi tamen ad eundem intellectum feruntur, ut *ferrum* et *mucro*. Nam per abusionem *sicarios* etiam 12
omnes vocamus, qui caedem telo quocunque commiserint. Alia circuitu verborum plurium ostendimus:

---

§. 11. τροπικῶς *quasi tamen*] Pro *quasi* Tur. Fl. Guelf. Alm. Parr. *quare* exhibent. Auctore Regio edd. vett. ante Bad. *quasi* post *tamen* collocarunt.

---

poetas (Zumpt. Gr. L. §. 704. extr., cl. Grysar. p. 59.), non facile quisquam erit, qui quum in hunc locum inciderit, ablativum aliter accipiat quam apud Ciceronem Finn. III, 4. „quum sit verbum, *quo idem declaret*, magis usitatum." *ibid.* „*idem pluribus verbis exponere.*" *ibid.* „ut hoc quoque *pluribus nominibus insigne faciamus.*" Videntur autem hoc loco *voces* ita discerni a *verbis*, ut in illis nil nisi externae vocabulorum formae et soni (die Wörter nach Form und Klang), in his potissimum notiones, quae iis sunt subiectae, (die VV. nach ihrer Bedeutung) spectentur. Cf. Cic. Orat. c. 49.

ut nihil significationis intersit] i. e. *ut nihil ad significationem intersit*, quemadmodum loquitur Cic. Fam. V, 12. „Equidem *ad meam laudem* non multum video *interesse*, sed *ad properationem meam interest*, non te exspectare." Sed et alibi *interesse alicuius rei* invenitur, ut Cic. Fam. IV, 10. „multum *interest rei familiaris tuae*, te quam primum venire." Plin. Ep. IX, 13, 25. „Verane haec, affirmare non ausim; *interest* tamen *exempli*, ut vera videantur." Poetis ne dativus quidem *rei* insolens. Vid. Grotef. Gr. L. §. 434. n.

τροπικῶς *quasi*] Neque enim iam verus tropus in hisce agnoscitur usu nimium vulgatis. *Spald.* Zumptius *quasi* refert ad *eundem intellectum*. Alii pertinere putant ad *feruntur*, quod pro *transferuntur* dictum sit: sunt etiam qui tanquam interpretamentum vocis τροπικῶς plane omittant.

feruntur] *perveniunt.* Cf. VIII, 3, 39. „si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacunque *ad intellectum eundem* nihilominus *perveniat.*"

ferrum et mucro] VIII, 6, 20. „Prosa ut *mucronem* pro *gladio* et tectum pro domo recipiet, ita non puppim pro navi — Et rursus, ut pro *gladio ferrum*, ita non pro equo quadrupedem."

12. *Nam*] Cave ad proximam sententiam referas *nam*. Interiacet alia, sed suppressa et facile a legente subaudienda. *Sp.* Intelligi iubent *neque id mirum* vel simile quid. Cf. ad §. 50.

telo quocunque] De usu pronominis *quicunque* v. Zumpt. Gr. L. §. 706. cl. §. 128. Cf. infra §. 105. 7, 2.

circuitu pl. verb.] i. e. *circumlocutione*, quae vox argentea demum aetate in usum venit. Vid. Grysar. p. 242. — *ostendere* = *declarare*, *significare*, ut §. 15.

quale est, *Et pressi copia lactis.* Plurima vero mutatione figuramus, *Scio*, *Non ignoro* et *Non me fugit* et *Non me praeterit* et *Quis nescit?* et *Ne-*
13 *mini dubium est.* Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam et *intelligo* et *sentio* et *video* saepe idem valent quod *scio.* Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut non solum quomodo occur-
14 rent, sed etiam quomodo oportet, utamur. Non

---

§. 13. *licet*] Codd. *libet*, quod edidit Herz. — *occurrent*] Tur. Flor., a pr. m. uterque. Reliqui *occurrerint.*

Et pressi cop. l.] Haec desumta sunt e Virg. Ecl. I, 81.

plurima] Quomodo differant *plurimi* et *plerique*, docent Zumpt. §. 109. n. Grysar. p. 121. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 5. Apud Fabium *plerique* fere idem est quod *nonnulli*, *plures*, *multi*. Cf. §§. 26. 31. 34. 37. 66. 106. 129. 2, 13. 3, 16. Neque tamen *plurimi* ubique superlativi vim habet, sed passim non aliud significat quam *permulti*. Cf. §§. 22. 27. 40. 49. 56. 58. 60. 65. 81. 95. 107. 109. 117. 128. 2, 6. 14. 24. 3, 1. 2. 5, 3. 10. 19. 6, 1. 7, 17.

Scio] Praeponi poterat *ut*, quae vocula in afferendis exemplis modo supprimitur modo additur. Cf. §§. 11. et 22.

13. *ex proximo*] ex eo quod proxime accedit ad verba idem significantia. *Aug.* Non modo quae significent eadem verba possunt sibi invicem succedere, sed etiam in quibus levis est significationis differentia. *Sp.*

Nam et — et — et] Saepissime a coniunctionibus *nam et* ducitur oratio. Cf. §§. 9. 24. 35. 48. 65. 96. 117. 119. 129. 4, 2. 5, 3. 4. Cic. Brut. 1, 1. 26, 100. Plin. Ep. VI, 2, 5. Similiter *namque et — et* legitur §§. 68. 122. 7, 17. *nam neque — et* 1, 2. *nam neque — neque* (*nec*) 2, 22. 5, 5.

14. *Non semper enim*] Pro cuiusque loci natura et singulorum vi verborum coniunctiones postpositivae modo secundum, modo tertium, modo quartum locum occupant. Cf. §§. 8. 16. 57. 3, 15. Solemniter tamen tertio loco collocantur 1) post nomina, quibus praefixa est praepositio, ut 1, 68. „in affectibus *vero*." 112. „apud posteros *vero*." 2, 4. „ante omnia *igitur*." 3, 1. „in iis *autem*." 3, 15. „ad profectum *enim*." 2) si enuntiatio orditur a praedicato, quod vocant, sequente copula *esse*, ut §. 45. „facile est *autem*." §. 120. „id est *autem*." 6, 7. „plura sunt *autem*." 2, 10. „necesse est *enim*." 7, 24. „rarum est *enim*." 3) si enuntiatio incipit a vv. *non est*, *nullus est*, *nemo est*, *nihil est*, *quis* (*quae*, *quid*) *est*. Sic 2, 19. „nihil est *enim*." Est tamen inverso ordine 1, 78. „nihil *enim est* inane, nihil arcessitum." 4) si tota enuntiatio uno tantum nomine et verbo *esse* constat, ut 7, 15. „pectus est *enim*, quod disertos facit." Cic. N. D. II, 30. „ratio est *enim*, quae praestat omnibus." Vide A. Grotefend. Gr. L. §. 356. n. 4. Grysar. p. 646.

semper enim haec inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim *video*, ita de visu oculorum *intelligo*: nec ut *mucro* gladium, sic *mucronem* gladius ostendit. Sed ut copia verborum sic 15
paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus, cum eo qui discit perductus est, ut intelligere ea sine demonstrante et sequi iam suis viribus possit: quia, quae doctor praecipit, orator ostendit.

Alia vero audientes, alia legentes magis adiu- 16
vant. Excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus incendit. Vivunt omnia

---

§. 16. *omnia enim*] Hoc ordine optimi codd. Reliqui *enim omnia*.

---

inter se idem faciunt] i. e. possunt impune reciprocari. *Sp.*

intelligo] Repete *recte dixerim*. Similiter V, 11, 26. „Neque enim, *ut navis utilior nova quam vetus, sic amicitia:* vel *ut laudanda quae pecuniam suam pluribus largitur, ita quae formam.*" Adde VIII, 6, 20. XII, 11, 27.

15. *sic paratur*] sc. multa lectione atque auditione. Respicitur enim ad §. 10.

Nam omnium] Docetur, qua alia de causa legendum et audiendum sit. *Wolff.*

hoc — quia] *τοῦτο — ὅτι, iccirco — quod.* Cf. §. 34. „sed pleraque ex vetustate .. sumat, *hoc* potentiora, *quod* ea sola criminibus odii et gratiae vacant." Sic §. 129. „*eo* perniciosissima, *quod*.

etiam ipsis — artibus] §. 24. „Horatio vero *etiam* Homerus *ipse* videatur (dormitare)." Horat. Sat. III, 39. „Turpia decipiunt caecum vitia, aut *etiam ipsa* haec delectant." — *artes* sunt *praecepta* et *regulae*, a Graecis quoque *τέχναι* (*ὁητορικαί*) dictae, quibus bene dicendi ratio continetur. Cf. §. 49. „qui de *artibus* scripserunt." Aristot. Rhet. I, 1. „*οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες.*" Cic. Brut. 12, 46. „*artem* et *praecepta* Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse." Quint. Prooem. tot. operis §. 26. „nihil *praecepta* atque *artes* valere, nisi adiuvante natura." Pluralis dicitur de pluribus illis praeceptis, quibus continetur tota ars.

sine demonstrante] Participium substantivi vim induit, ut I, 2, 12. „Lectio quoque non omnis nec semper *praeeunte* vel *interpretante* eget."

16. *audientes — legentes*] Ad illud mox refertur *qui dicit*, ad hoc *lectio* §. 19.

spiritu ipso] *eo ipso quod spirat et vivit, durch das lebendige*

enim et moventur, excipimusque nova illa, velut nascentia, cum favore ac solicitudine. Nec fortuna modo iudicii, sed etiam ipsorum qui orant periculo
17 afficimur. Praeter haec vox et actio decora, commoda,

§. 17. *commoda, ut*] Hers. *commoda, et ut.* Codicum scriptura valde corrupta.

Wort, ut recte interpretatur Herzog. Cic. Orat. 56, 130. „carent libri *spiritu illo*, propter quem maiora eadem illa, quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent." Plin. Ep. II, 3, 9. „multo magis, ut vulgo dicitur, *vivae vox* afficit. Nam licet acriora sint quae legas, altius tamen in animo sedent quae *pronuntiatio*, *vultus*, *habitus*, *gestus* etiam dicentis affigit." Minus recte Frotscherus praeeunte Spaldingio *spiritum* intelligit de *calore et vehementia* dicentis, de quo vocis significatu vid. ad §. 27.

ambitu rerum] *Ambitus rerum* quid sit dicere difficilius est. Animadvertatur tamen, *imaginis* mentionem praecedere, qua ductum incidisse Fabium in *ambitum rerum*; itaque nescio an sit *rerum circumscriptio*, quam prima lineamenta ducentes faciunt pictores." *Wolff.* Nimirum Quintilianus scriptoris cum pictore similitudinem et significat et exsequitur: sicut pictor varietate colorum et extremitate linearum rerum figuras effingit; ita scriptor verbis quasi designat, cum contra qui dicit, sculptori similis, res ipsas proponere videatur. *Zumpt.* Eodem interprete *ambitus* est *descriptio verbis facta.* Multo deterius Herzog. convertit: „*durch das Imponante.*"

nova illa] *Ille* pronomen, quod est frequentissimi usus apud Fabium, saepe indicat res, quae aut saepe aut ubique fieri solent, ut nemini ignotae esse queant. Sic §. 17. „*ille* laudantium clamor." 8, 6. „calor quoque *ille* cogitationis." Cf. 3, 18. 22. 31. 5, 8. 12.

cum favore ac solicitudine] Vid. Zumpt. Gr. §. 472.

ipsorum — periculo] Cogitandum hic de illo periculo, quod imminebat oratori, si minus bene ageret: ita enim facile boni oratoris famam perdere poterat. Plin. Ep. IV, 19. „Qua illa (Calpurnia) solicitudine, quum videor acturus, quanto, quum egi, gaudio afficitur! Disponit qui nuntient sibi, quem assensum, quos clamores excitarim, quem eventum iudicii tulerim." Cic. Orat. 27, 98. „Medius ille (orator) ... non extimescet ancipites dicendi incertosque casus: etiam si quando minus succedit, ut saepe fit, magnum tamen periculum non adibit. Alte enim cadere non potest." — *Orare causam*, vel absolute *orare* idem est quod *agere causam.* Cf. §. 76. 5, 6. 18. Cic. Brut. 12, 47. Plin. Ep. VII, 9, 7. Adverte autem transitum a singulari „*qui dicit*" ad pluralem „*ipsorum qui orant.*" Contrario modo Tacit. Dial. de Oratoribus 6, 6. „Illa secretiora et tantum *ipsis orantibus* nota maiora sunt. Sive accuratam meditatamque *profert* orationem" et quae sequuntur.

17. *vox et actio decora*] Adiectivum in talibus ad utrumque substantivum referri debet. *Actio* proprie constat e *voce atque motu* (Cic. Orat. 17, 55.) sive partienda est in *gestum atque vocem* (Cic. Brut.

moda, ut quisque locus postulabit, pronuntiandi, vel potentissima in dicendo, ratio et, ut semel dicam, pariter omnia docent. In lectione certius iudicium, quod audienti frequenter aut suus cuique favor aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dis- 18
sentire et velut tacita quadam verecundia inhibemur

Brut. 38, 141.); at nostro loco de solo gestu intelligitur. Infra 7, 14. distinguuntur *vox*, *pronuntiatio*, *gestus*. Cf. XI, 3, 1. 14.

pronuntiandi — ratio] i. e. *pronuntiatio*. V. ad §. 4. De sententia cfr. XI, 3, 2. „Habet autem res ipsa (sc. pronuntiatio) miram quandam in orationibus vim ac potestatem, neque tam refert, qualia sint quae intra nosmet ipsos composuimus, quam quo modo afferantur: nam ita quisque, ut audit, movetur."

ut semel dicam] Elegans forma sibi quasi ipsius instantis et suam tarditatem indignantis. *Sp.* ad V, 13, 3. ubi est „*ut semel finiam*", quae eadem formula legitur VIII, 3, 55. Similiter XI, 1, 66. „*ut semel plura complectar*." Nostrum redit infra 3, 22.

pariter omnia] Graece *πάντα ὁμοίως*. Cf. Xenoph. Anab. I, 3, 12. Cyrop. V, 1, 9. 10.

audienti — cuique] §. 87. „*Macer et Lucretius* . . elegantes in *sua quisque* materia." Sallust. Cat. 52, 23. „*vos* separatim *sibi quisque* consilium capitis." V. Grotefend. Gr. L. §. 216. Ceterum legitimus ordo is est, ut possessivum *suus* pronomini *quisque* antecedat. Sic 2, 22. „*sua cuique* proposita lex, *suus cuique* decor est." Vid. Zumpt. §. 796. Eundem ordinem servari, si in possessivi locum succedat personale *sui* (*sibi*, *se*), docet Grotefend. §. 352. n. Et sic infra 1, 127. „ad ea *se quisque* dirigebat." 7, 24. „ut satis *se quisque* vereatur." Sed 3, 5. „non, ut *quodque se* proferet verbum, occupet locum."

laudantium clamor] i. e. *laud. plausus*, quo significatu frequentior est pluralis *clamores*. Cic. de Orat. I, 33. „haec sunt, quae *clamores* et admirationes in bonis oratoribus efficiunt." Idem ad Q. Fratr. III, 1, 3. „*clamores* efficiam." Plin. Ep. II, 14, 6. „Hoc pretio . . infiniti *clamores* commoventur." Sic ibid. §. 12. IV, 5, 1. 19, 3. IX, 15, 18. Singulari tamen utitur Plin. II, 10, 7. „Imaginor enim, qui concursus, quae admiratio te, qui *clamor*, quod etiam silentium maneat." Tacit. Dial. 39, 4. „oratori autem *clamore plausuque* opus est." De re ipsa vid. statim ad §. 18.

extorquet] *aufert*. IV, 5, 6. „cognoscenti *iudicium* conamur *auferre*", quem locum laudavit Spald.

18. *inhibemur — credere*] Prooem. tot. op. §. 20. „Neque ad eam *pervenire* natura humani ingenii *prohibet*." Infra 5, 5. „qui *vertere* orationes Latinas *vetant*." Ab hoc quidem infinitivi usu ne Cicero quidem abstinuit. V. Zumpt. §. 544. At labentis latinitatis indicium est infinitivus in hisce exemplis: 1, 72. „Philemon . . *meruit credi* secundus." 1, 96. „Horatius fere solus *legi dignus*." 1, 97. „qui *esse* docti *affectant*." 1, 127. „cum *se iactaret* eodem modo *dicere*." *ibid.* „foret enim *optandum*, pares ac saltem proximos illi viro *fieri*."

20 Ac diu non nisi optimus quisque et qui credentem sibi minime fallat legendus est, sed diligenter ac paene ad scribendi solicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, praecipue oratio, cuius virtutes
21 frequenter ex industria quoque occultantur. Saepe enim praeparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque

---

§. 20. *praecipue*] Al. *praecipueque*, quod non hic, sed §. 27. suo loco est. — §. 21. *eaque*] Al. *atque*.

Scribon. Larg. §. 122. „capientem cibi exiguum, quod facile *confisiatur*, ne crudus sumat medicamentum." ubi pro *concoqui* sumitur, ut etiam apud Plin. VIII. c. 21. „omnia dentibus frangentes protinusque devorata *conficientes* ventre. *Fr.*

20. *et qui — fallat*] §. 44. „tenuia *atque quae* minimum ab usu quotidiano *recedant*. Cf. §§. 78. 81. 95. 118. 119. 2, 10. Grotefend. Gr. L. §. 321.

ac paene ad scr. sol.] i. e. *ac paene non minus solicite ac si scribas*. Plin. Ep. II, 5, 2. „His tu rogo intentionem scribentis accommodes." — *ac paene* usitatissime dicitur. §. 76. „princeps Demosthenes *ac paene* lex orandi fuit." Plin. Ep. II, 10, 1. „durum *ac paene* crudelem." IX, 7, 4. „e cubiculo *ac paene* etiam lectulo." Cf. ibid. IX, 13, 20. Tacit. Dial. de Oratt. 31, 7.

utique] *daſs doch ja* primum est optantis aut suadentis ac praecipientis, quo significatu cum coniunctivo (Cic. Att. IV, 4.) et cum imperativo vel partic. Fut. Pass. iungitur; deinde in quibusvis enuntiationibus vim *affirmandi asseverandique* accipit, ut sit nostrum *schlechterdings, durchaus, jedenfalls*. Cf. §§. 24. 57. 118. 2, 10. 5, 12. 7, 14. 19. 30. Nonnullis tamen horum locorum interpretari licet *certe, wenigstens*, ut 1, 113. 2, 10. Cf. Plin. Ep. V, 7, 2. „Mihi autem defuncti voluntas — — antiquior iure est, *utique* in eo, quod ad communem patriam voluit pervenire." Cf. ib. VII, 17, 9.

ex integro] Ciceronianum est *de integro* vel *ab integro*. Significat autem idem quod *denuo*, sed paulo fortius. Vid. Grysar. p. 513. et infra 3, 6. Male Herzogius convertit: „*die durchlesene Schrift muſs wo möglich im Ganzen wieder vorgenommen werden.*"

praecipue oratio] et maxime si liber ille sit oratio quaedam praedicari alicuius patroni. *Gesner. praecipue* hic et §. 89. idem valet quod *praesertim, zumal*, quod adverbium legitur 4, 3.

ex industria] recentioris est aetatis pro *de industria*, in cuius locum saepe succedit apud omnes scriptores *data* sive *dedita opera*. Iterum *ex industria* legitur §. 125. et 5, 9. Sed omissa praepositione Quint. VI, 3, 6. „saepe est *industria* depravatum."

21. *praeparat*] παρασκευάζει, orator, quum in prooemio vel narratione ea attingit quae proprie non sunt huius loci, sed quorum praevia commemoratio aliquam tamen vim habere potest ad iudicem praeparandum et occupandum, ut si illa suis locis uberius exponun-

in prima parte actionis dicit, quae sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repetenda. Illud vero utilissimum, 22 nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones: ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias: et *Servii Sulpicii* atque *Messalae*, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter: et Pollionis

---

§. 22. *quoties*] Zumpt. novavit *quotiens*. Statim e Tur. Frotsch. et Herzog. dederunt *Servi Sulpici — Cassi*. Vid. Grotef. Gr. Lat. I. §. 162. Zumpt. §. 49.

---

tur, facilius moveant vel credibiliora sint. Tales praeparationes Qu. commemorat IV, 2, 55. *Ernest.* p. 298.

actionis] plane pro *oratione* etiam scripta. *Sp.* Cf. 5, 20.

in summa] i. e. *extrema, ultima, novissima*. Sic §. 97. „*summa* in excolendis operibus *manus*." Perperam Herz. convertit „*in der Hauptsache*."

suo loco] hic est *quo sunt posita loco*. Sed pro *debito* s. *iusto loco* dicitur 5, 23. „ut nec *suo loco* quidque ponatur." etc.

ideoque] quam frequens sit et familiare Quintiliano docebunt §§. 27. 31. 102. 2, 17. 26. 3, 16. 25. 28. 33. 5, 5. 16. 6, 3. 5. 7, 15. Cf. ad 2, 15.

22. *Illud vero — nosse*] Persaepe *illud*, ut Graecorum ἐκεῖνο, ita ponitur, ut animus legentis in sequentia intendatur. Cf. §. 67. 2, 6. 3, 11. 7, 32. Similiter 7, 7. „*illa* vero ex studio, *ut — comparemus*." — *vero* augendi vim habet. Cf. §§. 24. 29. 35. 49. 61. 68. 105. 108. 112. 114. 123. 2, 10. 28. 4, 1. 5, 3. 7, 1. 7. 27.

quarum orat.] Cic. Sen. 11, 38. „*Causarum* illustrium, quascunque defendi, nunc quum maxime conficio *orationes*."

utrinque] Cf. 5, 20. „Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat vel etiam alias — et *utrinque tractet*.

Demosth. atque Aeseh.] Ad connectenda nomina hominum Qu. uti solet *atque* particula. Sic statim „Sulpicii *atque* Messalae." §. 38. „Caesare *atque* Marcello." §. 39. „Demosthenem *atque* Ciceronem." Adde §§. 54. 56. 67. 97. 2, 17. 5, 2. Semel est *ac* 1, 90. Ter legitur *et* 1, 39. 87. 118. Nam §. 24. dubia est scriptura. — *Actiones*, quae hic memorantur, habitae sunt in iudicio Ctesiphontis, cuius Demosthenes fuit patronus, accusator Aeschines. Cf. III, 6, 3. VI, 1, 20. VII, 1, 2. Nobilissimas has orationes ex Atticis se convertisse refert Cicero de Opt. Gen. Oratt. 5, 14.

alter pro Aufidia] Significatur Servius Sulpicius pro Aufidia dixisse, sicut IV, 2, 106. „qua tamen (prosopopoeïa) non Servius modo Sulpicius utitur pro Aufidia." Quanquam nescio quo errore VI, 1, 30.

23 et Cassii reo Asprenate, aliasque plurimas. Quin etiam si minus pares videbuntur aliquae, tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre. Quin etiam easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius: et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum

---

§. 23. *Quin — utile erit*] Vitiosam librorum scripturam *Quis et. easd. causas utrisque* (al. *utriusque* vel *utile*) *erit scire* revocavit Frotsch. mutato *Quis* in *Quin* ex Sarpii auctoritate, qui *erit* Graeco more dictum putat pro *licebit*, et *utrisque* pendere vult ex *easdem*, Graece τὰς αὐτὰς ἑκατέροις. Cf. ad §. 11. et 5, 3. Alii alia coniecerunt. Spaldingianam scripturam, quam Philandro tribuunt, praebet Colon.

---

idem Servius Sulpicius „contra Aufidiam" dixisse narratur. De ipsa causa Aufidiae nihil aliunde constat.

23. *minus pares*] *von minder gleichem Inhalte.*" *Herzog.* Tu intellige cum Wolffio de praestantia orationum. Cf. §. 102. Scimus autem e Digest. Lib. I. tit. II. § 46. Tuberonem sermone antiquo usum affectasse scribere et ideo parum libros eius gratos habitos fuisse. De Hortensio notum est iudicium Ciceronis Orat. 38, 132. „Dicebat melius quam scripsit Hortensius."

aliquae] Fateor hoc pronomen utpote frigidum parum mihi placere et nescio an melius scribatur *aliquando tamen*. *Wolff.* Nihil quidquam mutandum est. Vide modo quae statim sequuntur. *Fr.* Ponenda fuit virgula post *aliquae*: quod feci auctore Herzogio, praeeunte autem Augusto.

Tuberonis] Repete mente *orationem*. Quod ex nostra ratione dicendi exspectes, *eam Tuberonis*, non est Latinum. Sic §. 71. „plures subire personas, *patrum*, *filiorum*, *militum*" etc. Auct. ad Herenn. III, 35. „Solis eclipses magis mirantur quam *lunae*. Cf. Grotef. Gr. §. 219. Zumpt. Gr. §. 767. Quando *hic* et *ille* adiicere liceat, docet Grotef. §. 500.

Quin etiam] Vide mihi ne in exquisitiorum quidem vocabulorum usu caventem sibi ab iteratione Nostrum; nam modo erat *quin etiam* (cf. IX, 4, 131. IX, 3, 78.): nec anaphoram hic ullam potuit affectare. *Sp.* At nostro quidem loco dubitare licet, num illud *quin* vera sit scriptura: quippe cui MSS. parum faveant: quanquam in iteratione eiusdem vocabuli nihil est offensionis. Vid. ad 3, 13.

Nam — scripsit] Ciceronem quoque de domo et pro Milone dixisse, Quintilianus non necesse habuit commemorare: quippe quod omnibus esset notum.

Cornelius Celsus falso existimat: et Pollio et Messala 24
defenderunt eosdem, et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae summi auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et

---

§. 24. *et Messala*] Al. *ac M.* — *insignes pro*] Codd. et edd. ante Ald. inserunt *at*, lib. Vallensis et Bad. pr. *tres*, quod cum Frotschero probant Gernhard. Herz. August. — *summi*] Huic scripturae maxime favet §. 25. Al. *magni* vel *optimi*. Codd. vitiose *omnes* (Tur. *omni*. Fl. *omnis*), quod natum puto ex antec. *omnia*.

---

24. *falso existimat*] Attende Celsum in eo errantem, quod satis notum ei fuisse nobis videri poterat. Pedianus idem quod Qu. narrat. *Sp.*

et Pollio et Messala] Suspicor *et — et* dictum ut *tam — quam*. *Sp.* Idem *et Messala* pro vulg. *ac Messala* ex optimis libris edidit. Mihi neque illa explicatione neque hac correctione vulgatae opus videtur. Nam *et* ante *Pollio* meram puto copulam, quae tertium addit exemplum: quapropter praeeunte Augusto distinctionem maiorem in virgulam mutavi: *ac* autem, ut minore librorum auctoritate firmatur, ita per se magis mihi arridet. Cf. ad §. 22. Sed in rebus tam pusillis suo quisque fruatur iudicio.

def. eosdem] int. *reos*. Sic dixisse utrumque pro Liburnia annotavit Frotsch. in Addend. p. 264., laudato Qu. IX, 2, 54. et Fest. p. 283. v. *Tabes*.

ferebantur] i. e. *circumferebantur*, *erant in manibus hominum*. Cic. de clar. Orat. c. 7. „Pericles, cuius scripta quaedam *feruntur*." Cf. infra §. 129. et 7, 30. Alibi *ferri* est *in ore hominum esse*, *celebrari*, *laudibus extolli*. Cic. de Orat. III, 56, 214. „Quid fuit in Graccho — quod me puero tanto opere *ferretur*." Plenius Tacit. Dial. 10, 11. „in ipsis auditoriis praecipue *laudari* et mox *omnium sermonibus ferri*." Herz. convertit: „*in meiner Jugend sprach man von* 8 *Reden*."

Neque — sit] Redit oratio ad §. 20. „Ac diu non nisi optimus quisque — legendus est." — *id* sequentia praeparat, velut *illud* §. 22., ubi vid. annot. Cf. §§. 37. 112. 2, 21. 7, 32.

auctores] dicuntur et *historici* et *philosophi* et *oratores* et *poetae*. Ex usu Fabii aetate pervulgato *auctor* plane idem valet quod *scriptor*. Cf. §§. 37. 40. 48. (cl. 46.) 74. 85. 124. 2, 1, 15. 5, 8. 8. Cum genitivo iunctum legitur 1, 66. 72. 93. Quam vim ac potestatem v. *auctor* apud Ciceronem eiusque aequales habeat, docet Ruhnken. dict. p. 7. Cf. Grysar. p. 221.

labuntur aliquando] Bene variari particulis idem significantibus, *aliquando*, *nec semper*, *nonnunquam*, *interim*, observavit Frotscher. De sententia conf. 2, 15.

plus nobis credere, cum interim et vitiosa pluribus placent et a corrogatis laudantur etiam quae non pla-
19 cent. Sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava iudicia non referant. Lectio li-

---

§. 18. *placent — laudantur*] Ita Codd. Vid. annot.

2, 7. „*contentum esse* id *consequi*." V. Grotef. §. 432. n. Zumpt. §§. 568. 698. 618.

cum interim — placent — laudantur] *interim* hic quidem non est pro *interdum*, sed suo significatu et quasi valens *tamen*. *Spald.* Idem e Regii coniectura edidit *placeant — laudentur*, quod non recte eum fecisse putat Zumptius, qui indicativum post *cum interim* monstrat I, 12, 3. II, 12, 2. X, 1, 111. et XII, 10, 67. cum nota Buttmanni. At coniunctivum omnes libri exhibent IV, 2, 37. „*cum interim*, quod tanquam facile contemnunt, *nescias*, praestare minus velint an possint." Ex mea quidem sententia formulae *cum interim*, ubi praevalet temporis significatio, ut valeat *während inzwischen*, recte subiicitur indicativus, ubi ad ratiocinationem transfertur, coniunctivus. Non aliter statuere videtur Herzogius, qui bene habere dicat coniunctivum, cui subsit notio *concedentis*. Nec tamen ausus sum invitis libris quidquam mutare. — *Corrogati* dicebantur auditores, qui oratoris precibus moti ad laudandum et plaudendum in iudicium eum sequebantur: quem audiendi morem primus induxit Largius Licinius, teste Plinio Ep. II, 14, 9. Postea vero mos invaluit, ut oratores vel mercede conducerent et redimerent plausores laudatoresque. Praeter Plinium l. l. §. 4 sqq. cf. Quint. IV, 2, 37. Nescio quid impulerit Augustum, ut *corrogatos* hic intelligeret laudatores *operum recitatorum* in auditoriis, quam interpretationem falsam esse vel e §. 16. apparet. Adde locos modo laudatos.

etiam quae] Non solet Fabius interponere *ea*. §. 121. „verborum, *etiam quae* assumta sunt, proprietas." 2, 27. „omnia, *etiam quae* .. videantur." 7, 7. „ut scriptorum colorem *etiam quae* subito effusa sunt reddant." Cf. 1, 49. 2, 9. Similiter 1, 12. „sicarios *etiam* omnes vocamus *qui* caedem telo quocunque commiserunt."

19. *e contrario quoque*] *quoque* ad sola verba *e contrario* refer. Sic §. 20. „cuius virtutes *ex industria quoque* occultantur." Quum vero hac particula saepissime perverse utantur tirones et omnino barbare loquentes, adire eos velim hosce locos: §§. 28. 36. 37. 40. 62. 72. 74. 83. 85. 88. 93. 115. 121. 125. 131. 2, 11. 15. 21. 28. 3, 3. 4. 8. 31. 4, 4. 5, 16. 19. 6, 2, 7, 8. 24. Tenendum autem, argenteae aetatis scriptores *quoque* etiam pro *vel*, *selbst*, *sogar* uti solere. Exempla suppeditant plures ex iis locis, quos modo indicavimus, quibus adde Plin. Ep. I, 10, 5. „ut mediocrites *quoque* doctos advertant." et II, 3, 3. „quod stilo *quoque* adsequi magnum est."

prava iudicia] extra rem forensem sunt *iniquae et iniustae sententiae*. §. 72. „Philemon, qui .. *pravis* sui temporis *iudiciis* Menandro saepe praelatus est." Quocum loco cfr. III, 7, 18. „Nam quidam, ut Menander, *iustiora* posterorum quam suae aetatis *iudicia* sunt consecuti."

§. 38. *quibuscum vivebat*] e correctione parum probabili. Codd. *quidque contuuebit* vel *quod quid convivabit* vel *quid quisque convivebat.* Unde alii alia efficere tentarunt. Zumpt. coniicit *quod invidiam vitabat.* — *philosophos?*] Col. Bas. addunt *et poetas persequi velim?* „Ac sane, inquit Frotsch., mirantur Sp. et Wolff., cur hic *poetarum*, de quibus et ipsis in sqq. sermo est, nulla fiat mentio. Sed nolebat Qu. tam religiosus esse, ut singulos, de quibus dicturus erat, accurate recenseret: et sic *historicos* quoque debebat commemorare. At hoc erat inepti tumoris." — §. 39. *quae est ap.*] Medium vocabulum om. Tur. Fl. Guelf. Camp. Goth. Iens. Tarv. — §. 40. *Non est tamen*] *Tamen* om. Codd. et Edd. ante Bad. Nec opus est propter *Non* graviter positum primo loco et seq. *quoque. Gernh.* Fortasse *Sed* intercidit post *simillimus. Spald.* — *Paucos*] Frotsch. addidit *enim* e Tur. Fl. Guelf., sed iidem om. *et*, quod est in Goth. Camp. Voss. 2 Par. 1. 2. Reliqui dant *enim vel potius vix ullum.* Iudice Gernhardo facile caremus *enim*, ubi erat summa contrahenda, *et* non item. Consentit Haud. Turs. II. p. 496.

---

re", alter ibid. 71, 218. „si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Caesare et Marcello, audirem non minus lubenter quam audivi de iis qui fuerunt."

si et illos] sc. *persequar*, quod verbum ex antecedentibus facile repetitur. — *illos* intelliges de iis, quos Cicero commemorat.

39. *tum ita*] alios quoque legendos esse. *Fr.* Deest *ita* in eiusdem sententiae commemoratione II, 5, 20. „*tum*, quemadmodum Livius praecipit, *ut quisque erit Ciceroni simillimus.*" — In proximis Demosthenis et Ciceronis nomina non sine vi quadam iterantur, quod magis senties, si *iis* pronomen in eorum locum substitueris. Cf. Xenoph. Anab. I, 9, 15. et II, 6, 8.

40. *nostri — iudicii summa*] ita ut ne singulis suas rationes subiiciam, neque longiore disputatione utar. *Sp.* Cf. 3, 9. et 1, 48.

Paucos et vix ull.] *Et* ut Graecorum *καί* non similes modo et cognatas notiones, sed etiam haud paulo diversas atque etiam repugnantes nectit. Nostro loco est augentis et corrigentis, ut idem va-

ex his qui vetustatem pertulerunt existimo posse reperiri, quin iudicium adhibentibus allaturus sit utilitatis aliquid, cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum. Nec multo aliud 41
de novis sentio. Quotus enim quisque inveniri tam

---

quin — allaturus sit] Spald. cum Obrechto. Alii *qui — non all. sit*, quod nuper restituit Herzog., coll. §. 48. Codd. exhibent *qui*, omittunt autem *non*.

---

leat quod *vel potius*, quo sensu saepius *atque* dicitur, velut apud Cic. Tusc. V, 15, 45. „hebeti ingenio *atque* nullo." Vid. Beier. ad Cic. Off. I, 11, 33. Brem. ad Nep. Hann. 2, 4. Matth. ad Cic. Cat. II, 12, 27. Hand Tursell. II. p. 480. Graeca exempla congessit Fritzsch. Quaest. Luc. p. 10 sqq.

ex his — pertulerunt] i. e. *ex veteribus, antiquis.* Cf. §§. 43. 118. 122. 126. 2, 17. Frequentius in hac locutione a vinis petita simplex *ferendi* verbum est, ut Ovid. Trist. V, 9, 8. „Scripta *vetustatem* si modo nostra *ferent*." Cf. etiam Colum. III, 2. „Vinum *vetustatem patitur*." et Quint. II, 4, 9. „nec musta in lacu statim austera sint: sic et *annos ferent* et *vetustate proficient*."

vetustissimis — carentibus] I, 8, 8. „Multum autem (sc. utilitatis) *veteres* etiam Latini conferunt, quanquam plerique plus *ingenio* quam *arte* valuerunt." *Vetustissimos*, quos Qu. seiungit ab *his qui vetustatem pertulerunt*, cum Spaldingio intellige eos qui non iam sunt in omnium manibus, non celebrantur, igitur ne *vetustatem* quidem *pertulerunt*. Ceterum Quintiliano non placuit, oratorum et scriptorum vetustatem certis includere terminis. Nam ut rudes illi ante Ciceronem audiunt ei *veteres*, ita et ipse Ciceronem cum *veteribus* coniungit. V. Sp. ad IV, 2, 118.

41. *aliud — sentio*] Ne probes aliorum scripturam *aliter*, Frotscherus in Add. p. 265. comparat Cic. Cat. IV, 7, 14. „in quo omnes *sentirent unum atque idem*." et Caes. B. G. V, 31. „si modo *unum* omnes *sentiant* ac probent." Quemadmodum autem hic *multo aliud*, sic §. 53. *quanto aliud*. — *Novi* hic sunt qui post Ciceronis aetatem fuerunt. Nam, ut modo vidimus, etiam Ciceronis tempora passim inter vetera censentur a Fabio. Cf. Tacit. Dial. c. 17 et 18.

Quotus — quisque] Cic. Tusc. II, 4. „*Quotus* enim *quisque* philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ut ratio postulat." Tacit. Dial. 29, 4. „*Quotum quemque* inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur." Ubivis in hac formula *paucitatis* significatio est, ut differat a *quot* et *quam multi*. V. Zumpt. Gr. §. 709. cl. §. 561. Grotef. §. 114. a. Grysar. p. 121.

tam demens qui] §. 48. „nemo erit *tam* indoctus, *qui non* fateatur." Contra §. 57. „nec sane quisquam est *tam* procul — remotus, *ut non* — possit." Plin. Ep. VIII, 14, 3. „Quotus enim quisque *tam*

demens potest, qui ne minima quidem alicuius certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, et citius nos dimittet, quam ut eius nobis magno tem-
42 poris detrimento constet experimentum. Sed non quidquid ad aliquam partem scientiae pertinet, protinus ad faciendam etiam phrasin, de qua loquimur, accommodatum.

Verum antequam de singulis loquar, pauca in
43 universum de varietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos veteres legendos putant neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum

---

§. 42. *phrasin*] Al. cum Spald. φράσιν; sed ut hic meliores libri, sic §. 87. omnes latinis litteris. — *accommodatum*] Quod quidam addunt *est*, in praestantioribus codd. non reperitur.

---

patiens', *ut* velit discere quod in usu non sit habiturus." Xenoph. Anab. II, 5, 12. τίς οὕτω μαίνεται, ὅστις οὐ σοὶ βούλεται φίλος εἶναι; Ibid. VII, 1, 28. ἔστι τις οὕτως ἄφρων, ὅστις οἴεται ἂν ἡμᾶς περιγενέσθαι; In huiusmodi exemplis relativum *qui* (ὅστις, ὅς) ad pronomen *nemo*, *quisquam*, *quotusquisque* (οὐδείς, τίς, τὶς), *ut* (ὥστε) ad adverbium *tam*, *ita* (οὕτω) refertur.

ne minima — partis] i. e. ne minima quidem fiducia in aliqua certe parte operis sui reposita.

memoriam posteritatis speraverit] i. e. nomen suum inter scriptores librorum professus sit, vel omnino aliquem librum ediderit. *Sp.* Rectius Frotscherus: „*memoriam posteritatis sperare* est *sperare fore, ut posteri memoriam sui conservent suumque opus ex aliqua certe parte probent.*"

qui si quis est] i. e. cuiusmodi scriptor si quis est, ut recte explicat Wolfius. *Fr.* Non recte, opinor, explicat, quoniam non dixit Fabius „*qualis si quis est.*" Ponitur autem in praedicato et *qui* et *qualis*, sed diversa sententia. Sic Plaut. Amph. I, 1, 217. „Tun' te audeas Sosiam esse dicere, *qui* ego sum?", ubi nemo interpretabitur *cuiusmodi*. Contra Cic. Phil. 2, 7. „Senatus populusque Romanus habebat ducem, *qualis si qui (quis) nunc esset*, tibi idem, quod illis accidit, contigisset."

nos dimittet] i. e. faciet, ut e manibus eum dimittamus, a lectione nos deterrebit.

42. *phrasin*] Graeci etiam λέξιν et ἑρμηνείαν, Latini *elocutionem* dicunt. Cf. §. 87. VIII, 1, 1. *facere phrasin* sic dictum ut *facere verba*, *robur*, *usum* 5, 8. 10. 28. ub. vid. annot.

43. *robur viris dignum*] i. e. *solidam ac virilem ingenii vim* (II, 5, 23), quam *virilitatem* appellat I, 8, 8.: „Sanctitas certe et, ut

arbitrantur: alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita delectant. Ipsorum etiam qui rectum dicendi genus 44
sequi volunt alii pressa demum et tenuia et quae mi-

---

§. 44. *Ipsorum — alii*] Sic e coni. Spald. Codd. exhibent *ipso* vel *ipsos*. Herzog. *ipsos — volunt. Alii.* Non magis placet coniectura Regii *Sunt etiam — volunt. Alii.*

---

sic dicam, *virilitas* ab his (veteribus) petenda, quando nos in *omnia deliciarum vitia* dicendi quoque ratione defluximus." Cf. V, 12, 17. et annot. seq.

recens haec lascivia] *Haec* lascivia eam significat *quae hodie est in usu, quae nunc est.* Plane sic II, 5, 22. „ne *recentis huius lasciviae* flosculis capti voluptate quadam prava deliniantur." *Ibid.* §. 23. deterso rudis saeculi squalore, tum *noster hic cultus* clarius enitescit." — „*Lascivire* et *lascivia* cum apud Latinos praecipue dictum esset de animalibus in aliquo qualicunque voluptatis sensu exultantibus et gestientibus vel petulanter ludentibus: tum iisdem verbis usi sunt rhetores, ut ingeniorum lusus luxuriamque significarent, qua nonnulli scriptores vel oratores in ornanda expoliendaque oratione modum excedere solebant, fucum et pigmenta puerilesque figurarum lusus pro vero gravique ornatu, redundantiam effusam pro copia, numeros molles effeminatosque pro concinnitate affectantes." *Ernest* p. 236. Idem docet (p. 108.), *delicias* ut *delicatum*, ubi de elocutione dicatur, nimiam mollitudinem vel concinnitatem ex artis elegantiaeque affectatione ortam notare. „Nam utrumque, inquit, proprie in hominibus mollitiei, luxui et elegantiae omnis generis addictis paeneque effeminatis adhiberi solet." Quemadmodum autem Qu. hac §. improbat eos qui ad unam aetatem sive antiquiorem sive recentem se astringunt, ita §. sq. iis adversatur quos non nisi unum ex tribus dicendi generibus delectat. Monuit Spald.

44. *rectum dicendi genus*] quod inter veterum robur et lasciviam novorum medium est. *Wolff.* Cf. §. 89. et §. 122. c. ann.

pressa demum et tenuia] Festus sive ex eius libro Paullus quum dicit: „alii *demum* pro *dumtaxat* posuerunt:" observavit usum, quem nos tantum apud scriptores recentioris aetatis reperimus. Ii enim *demum* usurpant in restrictione, qua simul praestantia aliqua tribuitur rei. Graeci dicunt *γε*: nos *eben*, sed ut restrictio etiam appareat, *eben nur*, *vorzüglich nur*. Alias tamen simpliciter significat *dumtaxat*, *tantum*, *non nisi*. Atque adeo interdum exprimit id quod *certe*, Germanorum *wenigstens*. Antiquos scriptores, certe Ciceronem abstinuisse ab hoc usu, demonstrari potest Epist. ad Att. VIII, 8., in quo *id demum* et *id solum* opponuntur. Quare errare videtur Herzogius, quum illam vim exclusivam in Sallust. dictione agnoscit ad Catil. 12. Hand. Tursell. p. 258. Cf. ad 3, 12. et 6, 5. — *Pressa* sunt moderata et concisa, quibus contraria sunt tum luxuriantia tum ieiuna. *Premuntur* enim quae resecantur et coercentur, ducta metaphora a vitibus, quae ne serpere possint longius, falce pre

nimum ab usu quotidiano recedant sana et vere Attica putant: quosdam elatior ingenii vis et magis concitata et alti spiritus plena capit: sunt etiam lenis et nitidi

---

alti] e Burmanni coniectura. Libri *alia* vel *alias* vel *alios*. Frotsch. cum cens. Ien. hanc vocem putabat glossatoris (v. ad §. 35.), quum Turicensis scriptura *alia* (*alias*) *sputius*, Florentini *alios spurtius* librariis tribui posset. Assentitur Gernhardus, cum *plena* sit additum. Herz. legendum censet *altioris sp. pl.* aut totum membrum tanquam glossatoris additamentum exsecandum. Sed ut alterum non necessarium, ita alterum fieri non licet per concinnitatem.

---

muntur et inutilibus ramis nudantur. Cf. §§. 46. 102. 2, 16. 4, 1. — *Tenue* dicendi genus, quod dicitur etiam *grocile* et *subtile*, venustatem et elegantiam habere sedatiorem moderatioremque, et ab elato, vehementi, gravi, amplo, acri dicendi genere abhorrere, docet Ernest. p. 393. Cf. §. 64. 2, 19. 23.

sana et vere Attica] Luculentissimus Ciceronis locus, ex quo *sano* dicendi generi quam vim tribuerit intelligi possit, est in Bruto c. 79. Nam cum in Calidio oratore ea laudasset, quae ad naturalem maxime nitorem, elegantiam, venustam subtilitatem, lenitatem formamque orationis liberalem et a fuco, luxurie artisve affectatione remotam pertineant, has laudes in fine ita complectitur, ut totum eius dicendi genus *placidum* et *sanum* esse dicat: *anspruchlose, unverkünstelte Schönheit des Vortrags mit innerer Solidität verbunden. Ernest.* p. 341. Idem ex Cic. Orat. c. 28. intelligi posse dicit, in sanitate veteres inprimis medium illud genus dicendi cogitasse, quod copiam et sublimitatem cum tenuitate et subtilitate recte temperatam haberet. Saepissime igitur *sanitas* Atticis tribuitur. Cf. Cic. Brut. c. 13. De Opt. gen. dic. c. 3. Quint. XII, 10, 15. cl. II, 4, 9. — *vere Attica* Frotscherus interpretatur *vere optima et elegantissima*. Conferri iubet idem XII, 10, 26. „credantque *Attice dicere esse optime dicere*." et Cic. de Opt. Gen. Oratt. c. 4. extr. „hunc (Demosthenem) si qui imitetur, eum *et Attice dicturum et optime*, ut quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, *bene dicere*, id sit *Attice dicere*."

elatior — et magis concitata] Haec dicendi forma quam familiaris sit Quintiliano, permulta huius ipsius libri docent exempla, velut §. 74. „ut in historia praedictis *minor*, ita oratori *magis similis*." §. 77. „*plenior* Aeschines et *magis fusus*." §. 88. „propriores alii atque *magis utiles*" §. 94. „*tersior* ac *purus magis* Horatius." Inverso ordine §. 120. „ut esset multo *magis pugnax* et *saepius* . . respiceret."

sunt etiam — amatores] Ad variandam orationem *alii*, *quosdam*, *sunt etiam* se excipere voluit. — *lene* genus non aliud quam remissum, sedatum, tranquillum, vehementia spirituque oratorio vacuum. V. Ernest. p. 239 sq. Infra 2, 3. est „*lene ac remissum* causarum genus." Cf. ad 1, 121. — *nitidum* explicavimus ad §. 9. — *compositum* intellige concinnum, numerosum, in quo quidem cernitur artificiosa verborum structura et collocatio. Cf. §. 119. 2, 16. et ad 1, 96.

et compositi generis non pauci amatores. De qua differentia disseram diligentius, cum de genere dicendi quaerendum erit. Interim summatim, quid et a qua lectione petere possint qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt emi- 45
nentissimi, excerpere in animo est. Facile est autem studiosis, qui sint his simillimi iudicare: ne quisquam queratur omissos forte aliquos, quos ipse valde probet.

---

§. 45. *Paucos enim qui s. e.*] e Philandri coniectura Spald. Codd. et Edd. vett. om. *qui*. Tur. pr. m. et Fl. transponunt *Paucos enim s. em.* Parenthesin habet Aldus, quem secutus Gernh. edidit *Paucos* (*sunt en. emin.*) etc.

De qua differentia] i. e. de qua varietate opinionum (§. 42.), ne intelligas differentes inter se orationis formas s. genera dicendi.

disseram diligentius] XII, 10, 69—70., ubi inter alia stultissimum dicit quaerere, ad quam se recturus sit orator eloquentiae faciem, cum omnis species, quae modo recta sit, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgo *genus dicendi* vocent.

de genere dicendi] i. e. *de genere orationis* (XII, 10, 1.), *von der Schreibart*, *vom Style*, *von der Art oder Manier des Ausdruckes*. Graeci ἰδέαν, χαρακτῆρα, πλάσμα vocant. Distinguuntur autem tria genera dicendi, unum *subtile* (ἰσχνόν), alterum *grande* atque *robustum* (ἀδρόν), tertiumr *medium* ex duobus (μέσον), quod alii *floridum* (ἀνθηρόν) vocant (XII, 10, 58.). Cf. Cic. Orat. c. 5.

45. *excerpere*] i. e. e multis secernere et deligere. Tacit. Dial. 26, 8. „ne multos offenderet, si paucos *excerpsisset*.

studiosis] Cic. de Opt. gen. oratt. 5, 13. „Sed quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus: putavi mihi suscipiendum laborem, utilem *studiosis*, mihi quidem ipsi non necessarium." Apud Ciceronem tamen non ita magnus est numerus exemplorum vocabuli *studiosus* simpliciter et absolute positi: qui usus postea dici vix potest quantopere invaluerit. Neque solum eloquentiae, quae tum erat quasi apex studiorum, cupidi vocabantur *studiosi*, sed cuicunque generi literarum operam suam navantes, ut *studiosi*, *literati*, *docti* ad eundem fere intellectum pervenirent. Cf. Plin. Ep. III, 5. 2. 5. IV, 18, 11. VIII, 12, 1. Similiter contra Ciceronis usum *studere* frequentissime simpliciter dicitur, velut infra 3, 29. 7, 27. Plin. Ep. II, 13, 5. IV, 13, 3.

ne quisquam queratur] Ante haec omissa est talis quaepiam sententia: *quod commemoro propterea.* — *quisquam* fere in negantibus ponitur sententiis. Cf. §§. 55. 57. 111. 2, 6. 7, 18. 20. Zumpt. §. 129. Grotef. §. 96. n. Infra §. 60. et 7, 9. dubia est scriptura.

forte] i. e. *fortuito ac temere*, *non consilio atque ratione*. Qui cum Sarpio Analect. p. 28. traiectionem adverbii statuunt, ut iungant *ne forte quisquam queratur* (v. Zumpt. Gr. §. 727. Grotef. §. 131.), me quidem non habent consentientem.

Fateor enim plures illos esse quam qui a me nominabuntur.

Sed nunc genera ipsa lectionum, quae praecipue convenire intendentibus ut oratores fiant existimem, persequor.

46 Igitur ut Aratus *ab Iove incipiendum* putat, ita nos rite coepturi ab *Homero* videmur. Hic enim, quemadmodum *ex Oceano* dicit ipse *amnium fontium*-

---

plures] Tur. Fl. *plurimis* cum Alm. *plurimos* uterque a sec. m. cum Guelf. Camp. Goth. Obr., quod auctore Sarpio recepit Frotsch., *longe plures* interpretatus. Gernh. superlativum eo excusandum putat, quod Qu. contraxerit haec: *plurimos et plures leg. quam — nom.* Sic 2, 28. *tanto plurima* esse pro *plurima et tanto plura*. Equidem *plures illos* antiquitus scriptum fuisse puto, quod cum depravatum esset in *plurimos*, postea ab interpolatore adiici potuit *legendos*. V. ann. — *persequor*] Frotsch. e Tur. pr. m. *persecor*. Al. *persequar*. — §. 46. *amnium font.*] Quod vulgo interseritur *vim*, recc. Edd. recte eiecerunt cum Tur. Fl. Goth. Camp. Voss. 2.

---

plures illos esse] Sic pressis codicum vestigiis hunc locum scripsi ob hasce causas. Ac primum quidem in vulgata *plures legendos* offendo propter sequens *qui*, quum omisso hoc pronomine dicendum esset *quam a me nominabuntur*, ut 5, 22. „nec ille se bonus praeceptor *maiore numero quam sustinere potest* onerabit." Idem cadit in alteram scripturam *plurimos legendos*, quae insuper prosae orationi ne convenire quidem videtur. Vid. ad 2, 28. Deinde quum antecedentibus illis „Facile est enim studiosis, qui sint his simillimi, iudicare," iam significatum sit, plures legendos esse quam paucos illos eminentissimos quos sit nominaturus: eadem haec sententia nunc repitita valde friget. Ne vero quemquam offendat eiectum a nobis *legendos*, idem verbum etiam supra §. 37. a correctore additum invenimus. Quam facile autem *plures illos* vel potius *pluris illos* corrumpi in *plurimos*, quod optimi libri exhibent, potuerit, neminem fugit qui librariorum per compendia scribendi rationem noverit.

fiant, existiment, persequor] Notent tirones tria haec iuxta se collocata verba. *Fr.* in Addend. p. 266.

46. *Igitur*] indicat ingressum in disputationem, quam quis se instituturum declaravit. Cf. §. 123. et 7, 11. *Igitur* in initio sermonis positum apud alios auctores esse etiam frequens, apud alios nunquam reperiri, ipse testatur Quint. I, 5, 39. Cf. ad §. 4.

Aratus] Φαινομένων initio Ἐξ Διὸς ἀρχώμεσθα.

videmur] sc. *nobis*, ut §. 56. „audire *videor*." Exempla Ciceron. indicavit Beier ad Off. I, 1, 1. p. 4. et II, 2, 5. p. 14. Plenam locutionem habes infra 2, 18. „qui se — expressisse illud genus *sibi viderentur*." i. e. *existimarent*.; — Locus Homericus exstat Il. φ'. 195.

que cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus ac pressus, iucundus et gravis, tum copia tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de 47
laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam: nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio,

---

superaverit] Fl. a sec. m. Guelf. Goth. Par. 1. 2. cum Edd. ante Basil., excepta Camp., *superavit*. Frotschero videtur *superarit* voluisse. — §. 47. *consolationibus*] *consolationibusque* Tur. Fl., a sec. m. uterque, Par. 1. 2. Goth. Iens. Camp.

---

proprietate] „*an Natürlichkeit.*" *Herzog.* Vid. ad §. 6. Tribuitur *proprietas* etiam bene translatis verbis, quanquam *translata* contraria esse solent *propriis*. Cf. §. 121. cl. 5, 8. et VIII, 2, 1. sqq.

laetus] dicitur genere dicendi ex ubertate quadam, metaphora fere poetica, qua *laetas segetes* Virgilius noto sensu dixit. Itaque Quintiliano Homerus dicitur et *laetus* et propter contrariam laetitiae illi virtutem *pressus*, h. e. *castigatus*, *temperatus*, ut *premi vites falce* poetae dicunt. *Ernest.* p. 236. Alias *laetus* ad flores orationis refertur ut reddi possit *blühend*.

iucundus et gravis] Plin. Ep. IV, 3, 2. „Nam *severitatem* istam pari *iucunditate* condire summaeque *gravitati* tantum *comitatis* adiungere non minus difficile quam magnum est. V, 17, 2. „Excelsa depressis, exilia plenis, *severis iucunda* inutabat." Saepe *gravis* et *severus* ut synonyma iuxta se ponuntur. Bene Herzog.: „*freundlich und ernst.*"

laudibus — consolationibus] Veteres scriptores artium fere genera tria rhetorices esse voluerunt, *laudativum*, *deliberativum*, *iudiciale*, quae ab aliis, quos secutus est Cicero, genera causarum dicebantur. *Deliberativum* sive *suasorium* fuere qui secuti Aristotelem *concionale* appellarent. Tametsi vero Quint. III, 4, 2. totam illam partitionem improbet, tamen tutissimum esse ratus auctores plures sequi: „Est igitur, inquit, unum genus, quo laus ac vituperatio continetur, sed est appellatum a parte meliore *laudativum*. Idem alii *demonstrativum* vocant. Utrumque nomen ex Graeco creditur fluxisse: nam et ἐγκωμιαστικόν et ἐπιδεικτικόν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικόν non tam *demonstrationis* vim habere quam *ostentationis* videtur et multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre: nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit Panegyricos ἐπιδεικτικούς esse? Atqui formam suadendi habent et plerumque de utilitatibus Graeciae loquuntur." Cf. Cic. Orat. 11, 37. et de Orat. II, 84, 341.

vel dictae in secundo sententiae omnes litium ac con-
48 siliorum explicant artes? Affectus quidem, vel illos mites vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur.

---

litium ac consiliorum] Quemadmodum in praecedentibus commemoratae *laudes*, *exhortationes*, *consolationes* ad genus *laudativum* (ἐγκωμιαστικόν s. ἐπιδεικτικόν), sic *lites* ad *iudiciale* (δικανικόν), *consilia* ad *de liberativum* (συμβουλευτικόν) pertinent. Itaque ne unum quidem ex tribus causarum generibus deest apud Homerum. — De *ac* particula ante vocabulum posita quod a *C* litera incipiat, Frotsch. in Add. p. 265. conferri iubet Zumpt. Gr. Cap. 67, 1. (§. 332. n.) et Held. ad Caes. B. C. I, 48. Adde Hand. Tursell. I. p. 457. sq.

artes] *praecepta rhetorica* intelligit Sp. propter id quod adiicitur *explicant*. Cf. ad §. 15.

48. *Affectus quidem* etc.] §. 101. „*Affectus quidem* — nemo historicorum commendavit magis." Affectuum, quibus non solum in prooemio atque in epilogo, sed per totam causam locus est (vid. VI, 1, 51. 2, 1.), duae sunt species; „alteram Graeci πάθος vocant, quam nos vertentes recte ac proprie *affectus* dicimus; alteram ἦθος, cuius nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus, *mores* appellantur — —. Affectus igitur hos *concitatos*, illos *mites* atque *compositos* esse dixerunt; in altero vehementer commotos, in altero lenes; denique hos imperare, illos persuadere; hos ad perturbationem, illos ad benevolentiam praevalere." *Qu.* VI, 2, 8. sq. Apud Dionysium, ex quo Fabius hoc de Homero iudicium hausit, legitur ἤθων τε καὶ πάθων.

in sua potestate — habuisse] Quum haec scriberet Quintil., animo eius obversabatur graecum ἔχειν. *Fr.* Advertat autem tirones possessivi locus in hac similibusque locutionibus, ut Cic. Verr. III, 38. „tenere aliquem in *sua potestate* ac ditione." Caecin. 34. „quem in *suam potestatem* susceperat, ex potestate dimittit." Liv. XXIV, 31. „daret operam, ut eos in *suam potestatem* redigeret." Ceterum non ubique ita facile perspicitur, cur pronomen possessivum nomini suo aut antecedat aut postponatur: saepe enim ita praecedit, ut omni vi carere videatur, velut 2, 21. „quanquam omnia, quae recta sunt, velit esse in *suis auditoribus* quam plenissima." 2, 19. „tum in suscipiendo onere consulat *suas* vires." 1, 91. „cui magis *suas artes* aperiret familiare numen Minerva?" 7, 8. „semperque *nostram vocem* provisa et formata cogitatio excipiat." Ubique tamen apparet aliqua vis opponendi. Vid. quae ad hos locos annotavimus. E contrario quoque possessivum posteriore loco positum interdum maiore vi praevalet, ut 2, 21. „difficilius est *naturam suam* fingere." 1, 38. „de omnibus *aetatis suae* — silentium egerit." 1, 70. „sed mihi longe magis orator probari in *opere suo* videtur." Contra 1, 35. „qui quidem illis optima *sui operis* parte cesserunt." 1, 54. „neminem *sui temporis* in numerum redegerunt." 1, 55. „admirabilis in *suo genere* Theocritus."

Age vero, non utriusque operis ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum, non dico servavit, sed constituit? Nam et benevolum auditorem invocatione Dearum, quas praesidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine et docilem

---

§. 48. *non utr. op. ingressus in p.*] Vulgatam *nonne in ut. op. ingressu p.* nuper restituit Herzog., *sui* post *operis* addito. Sed optt. libri *non utr. op. ingressus in p.*, nisi quod post *operis* additur *si*, quod ortum videtur ex duabus litteris postremis antec. vocis. — *Nam et benev.*] Tur. Fl. (hic pr. m.) Camp. om. *et*, quod revocavi praeeunte Herzogio. Cf. ad §. 18.

Age vero] dicitur et in ea evocatione, quae ad alia eaque graviora consideranda perducit, et in interrogatione, per quam, missa vel concessa quae ante dicta erat re, ad aliud transitur ex adverso positum. *Hand.* Tursell. I. p. 211. Mox §. 49. transitioni serviunt particulae *vero* et *iam*. §. 50. *quid* pronomen.

non] saepissime sic est in interrogationibus. Cf. §. 56. 2, 25. XI, 3, 87. XII, 1, 42. Grotef. Gr. §. 129. n. 1. *nonne* erat §. 47. iterumque legitur §. 50. Neque vero recte quidam putant, *non* in interrogationibus semper idem facere quod *nonne*. Cf. ad §. 56.

ingressus — constituit] Fortasse displiceat (et gravatur hoc Badius in nota) quod persona hic imponitur ipsi *ingressui*, qui *servavit, constituerit*, deinde etiam „benevolum, intentum, docilem *faciat* auditorem", malitque aliquis hoc tribui Homero poetae: et sic sane procedit vulgata scriptura, quam tamen nequaquam praestant veteres libri. *Sp. Ingressus* alias vocatur *prooemium* vel *exordium* vel *principium* vel *initium*. Cf. IV, 1, 1. cl. 28.

non dico — sed] Sic 7, 2. Statim §. 50. in hac formula *dico* reticetur. Quomodo differant inter se *non dico*, *non dicam*, *ne dicam*, docet Grotef. Gr. §. 225.

benevolum etc.] IV, 1, 5. „Causa *principii* nulla est alia quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter auctores plurimos constat, si *benevolum*, *attentum*, *docilem* fecerimus." Quod nostro quoque loco *auditorem*, non *lectorem* dixit, id ex vetere more explicandum, quo carmina Homeri recitabantur. Vid. ad Xenoph. Comment. de Socrate II, 6, 11. et Symp. III, 6.

quas — creditum est] Sic 4, 1. „*creditum* est, *stilum* non minus agere, cum delet." Sed 1, 125. „damnare eum — *sum creditus*." Cf. Grotef. Gr. §. 63. n. — *Vatis* vocabulum honorificentius et ambitiosius fuisse quam *poetae*, apparet ex Tacit. Dial. 9, 3. „Quis Saleium nostrum, egregium *poetam*, vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum *vatem* deducit aut salutat aut prosequitur?" — *Praesidentes studiis deae* infra §. 91. dicuntur *Musae*. Ceterum apud Homerum in principio Iliadis est θεά, Odysseae μοῦσα, numero singulari.

49 summa celeriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius quam qui mortem nunciat Patrocli, quis significantius potest, quam qui Curetum Aetolorumque praelium exponit? Iam similitudines, amplificatio-

---

celeriter] i. e. *breviter, paucis verbis.* Est enim causa *celeritatis* in *brevitate:* quocirca Sallustio modo *brevitatem*, modo *celeritatem* sive *velocitatem* tribui supra vidimus ad §. 32.

49. *Narrare*] Hoc deinceps memorat in Homeri virtutibus, quia in causis *narratio* subiicitur *prooemio.* Cf. IV, 2, 24. „Nam quum *prooemium* idcirco comparatum sit, ut iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, intentior, et *probatio* nisi causa prius cognita non possit adhiberi: protinus iudex *notitia rerum* instruendus videtur."

quam qui] Sic §. 91. „Quis enim caneret bella melius *quam qui* sic gerit." Cf. §. 45.

mortem — Patrocli] Il. σ'. 20. Antilochus Achilli sic narrat mortem Patrocli: *Κεῖται Πάτροκλος, νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται Γυμνοῦ· ἀτὰρ τάγε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος Ἕκτωρ.* Specimen brevitatis haec verba laudare Plinium Ep. IV, 11, 12. Gesperus iam annotaverat.

significantius] i. e. *clarius et magis perspicue.* XI, 1, 58. „In narrando gratiam illam expositionis, quae continget ex sermone puro atque dilucido, quaeret, breviter ac *significanter* ordinem rei protulisse contentus." I, 7, 32. „Hae fere sunt emendate loquendi scribendique partes: duas reliquas, *significanter* ornateque dicendi, non equidem grammaticis aufero" etc., ubi Spaldingius bene refutavit eos qui *significanter* pro *ἐμφατικῶς, avec force*, dictum putarent. Neque infra §. 121. *significantia* referenda est ad *ἔμφασιν*, sed ad *proprietatem et perspicuitatem.* Attamen Herzog. convertit *„ausdrucksvoll."*

Curetum Aetolorumque] Il. ι, 530.

Iam similitudines etc.] *Iam* transitum facere ad ceteras res enumerandas, annotavimus ad §. 48. Cf. §§. 98. et 111. Ex Cicerone exempla collegerunt Heindorf. N. D. I, 12, 30. Beier Off. III, 21, 84. Ellendt. Brut. 43, 159. Henrichsen Orat. II, 56, 206. Quae autem hic memorantur *similitudines*, *amplificationes* etc., haec omnia pertinent ad *probationem*, quae ex quinque iudicialis materiae partibus est tertia eaque maxime necessaria: nam neque *prooemii* neque *narrationis* est alius usus quam ut iudicem praeparent (V, 1, 4.). Praeclare vero ad inferendam rebus lucem repertae sunt *similitudines*, quarum aliae sunt quae *probationis* gratia inter *argumenta* ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compositae (VIII, 3, 72.). — *Amplificationum*, quibus elocutio et attollitur et deprimitur (VIII, 3, 90., quatuor maxime genera sunt, *incrementum*, *comparatio*, *ratiocinatio*, *congeries* (VIII, 4, 3. sqq.). — *Exemplum* est rei gestae aut ut gestae utilis ad persuadendum id quod intenderis commemoratio (V, 11, 6.). — *Digressus* non differunt a *digressionibus*, de quibus diximus ad §. 33. — *Signa* et *argumenta* coniunctim esse genitivo *rerum* applicanda iam Spald. annotavit. *Signa* Quintilianus V, 9, 3. in duas dividit partes, ut alia *necessaria* sint (*τὰ τεκμήρια*), alia *non*

nes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta, ceteraque probandi ac refutandi sunt ita multa, ut

---

§. 49. *digressus*] Sunt qui scribendum censeant *degressus*, ut Ellendt. ad Cic. Brut. 21, 82. Sed vid. Walch. ad Tacit. Agric. p. 298. — *ceteraque — multa*] Vulgatam *ceteraque quae pr. ac ref., sunt ita m.*, quam repetiit Herzog., ita correxit Sp., ut incisione ante *ita* facta, verbum *sunt* ad *quae* referret, nominativos *similitudines* etc. verbo finito carere posse ratus. Sed hanc Spald. scripturam, sicut codicum mss. fidem servet, ita formam orationis pessumdare, sententia est Zumptii. „Nam, inquit, isti genitivi cum *esse*, quibus *quo quid pertineat* ostenditur, non verborum sunt sive gerundiorum, sed nominum substantivorum, ut dicere nequeas rem esse *probandi*, sed adiicere debeas, cuius *rei probandae* sit. Quod cum perspicuum sit, noli te in tanta librorum mss. corruptione nimiae cuidam religioni addicere, quominus veterum editionum lectionem restituas *ceteraque probandi ac refutandi* (*argumenta*, puta) *sunt ita multa*, qua ratione verbum quoque, quod vix abesse potest, revocatur." Ita Zumptius, quocum prorsus consentio in iis quae de genitivis cum *esse* praecipit; de loci scriptura non item. Nullo enim pacto, si quid video, ad *cetera* repeti potest *argumenta*. Vereor igitur, ne antiquitus verba quaedam exciderint. Fortasse scripserat Qu.: *ceteraque quae pertinent ad probandi ac refutandi rationem.* Sic V, 13, 56. „In his *probandi refutandique ratio* est." Cf. etiam annot.

---

necessaria (τὰ σημεῖα), quae et εἰκότα Graecis dicuntur, quanquam a σημείοις paululum differunt. *Argumentum* est ratio probationem praestans, qua colligitur aliquid per aliud et quae, quod est dubium, per id, quod dubium non est, confirmat (V, 9, 11.).

ceteraque] Quod copula *que* annexa est voci *cetera* in fine positae, non recedit ab usu veterum. *Sp.* Neque concursus vocum *que quae* debet quenquam offendere. Sic apud Cic. Catil. III, 8, 18. *ceteraque quae*, ubi Benecke contulit de Fat. 15. *ceteraque quae.* de Legg. I, 15, 42. *eaque quae.* II, 11, 28. *araque quae.* c. 7, 15. *eaque quae.* Cf. supra §. 35. *iisque quae.* §. 106. *denique quae.*

probandi ac refutandi] i. e. *quae spectant ad probandum ac refutandum*, de qua structura verbi *esse* c. genitivo particip. fut. pass. et substantivi disputat praeter Stroth. ad Liv. IV, 24. (?) Kritz. Sallust. Cat. VI, 7. *Aug.* At nullum hic video genitivum aut substantivi aut participii fut. pass. Atqui ex Kritzii praecepto „*futura* tantum actio cum genitivo qualitatis, quem vocant, sociata eam vim habere potest, ut eam rem, quae genitivo propria esse enuntiatur, *eo valere* sive *pertinere* significet." Cf. quae in annotatione critica attulimus Zumptii verba, cuius sententiam miror non intellexisse Herzogium. Nempe hoc voluit vir doctissimus, in ista dictione, qua aliquid ad aliquam rem pertinere significatur, *esse* non cum genitivo *gerundii*, sed *nominis substantivi* cum participio fut. pass. sociati construi. Exempla vid. apud eundem Gr. Lat. §. 662, quanquam non omnia, quae attulit, huc trahere licet. Neque tamen assentior Kritzio eo no-

etiam qui de artibus scripserunt plurima harum rerum
50 testimonia ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit [viri] virtutes eius non aemulatione, quod fieri non potest, sed in-
51 tellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit, epicos tamen praecipue, videlicet quia clarissima in materia

---

plurima — testimonia] Sp. *plurimi — testimonium.* Tur. Fl. *plurime — testimonium*, a sec. m. *plurima — testimonia.* Et sic reliqui. — §. 50. *magni sit viri*] In Tur. Fl. pr. m. et Alm. omissum *viri* Frotsch. cum cens. Ien. l. c. expulit. Gensler. *magnum sit* coni. Ego non miror *viri* a proxima voce absorptum, quo opus erat propter *ingenii.* Consentit Geel. *Gernh.* Zumpt. omisso *viri* ex antecc. intell. *ingenii*, Herz. *operis.*

---

mine reprehendenti Zumptium, quod hic dictionis vim in genitivo quaerat, quae potius participio fut. pass. nitatur. Nam, ut alia taceam, saepenumero genitivus nude ponitur, velut infra §. 106. „denique *quae sunt inventionis.*" i. e. *was zur Erfind. gehört.* Similiter noster locus sic efferri poterat: *quae sunt probationis ac refutationis.* Non aliter statuit Herzog. ad Vers. Germ. n. 22. p. 106.

50. *Nam*] transitum hic facit ad aliquid, quod etiam manifestius sit praecedenti. Vid. ad §. 9. Transitur autem a *probatione* ac *refutatione* ad *perorationem*, quam Graeci ἐπίλογον dicunt, quae est ultima pars orationis iustae, unde etiam *conclusio* vocatur. Cf. Prooem. VIII, 11. „In omni — causa iudiciali quinque esse partes, quarum *exordio* conciliari audientem, *narratione* causam proponi, *confirmatione* roborari, *refutatione* dissolvi, *peroratione* aut memoriam refici aut animos moveri."

Priami] Il. ω. 486. sqq.

Quid? — nonne] Saepe *quid* praemittitur interrogationi, quemadmodum Graecorum τί δέ, ut lectoris animus intendatur in sequentia. Non solum autem sic ponitur in continuando sermone, ut sit pro *iam*, *porro*, sed etiam in obiectionibus ad declarandam admirationem quandam atque indignationem. Cf. §. 56. et 2, 25. c. annott. — Cur *nonne* non in fronte enuntiationis sit positum, causa est in promtu. Cf. Cic. N. D. I, 42. „*Quid?* ii qui dixerunt totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reip. causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, *nonne* omnem religionem funditus sustulerunt." Sic *non* infr. §. 56. Vid. Grotef. Gr. §. 353. n.

51. *clarissima*] Quia eiusdem generis scriptores si comparaveris, clarius

ria simili comparatio est. Raro assurgit *Hesiodus*, 52
magnaque pars eius in nominibus est occupata; tamen utiles circa praecepta sententiae levitasque verborum et compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi. Contra in *Antimacho* vis et 53
gravitas et minime vulgare eloquendi genus habet lau-

---

§. 52. *levitasque*] Al. *lenitasque*. — *medio*] Al. *mediocri*.

---

clarius et praestantia et vitia cuiusque apparebunt quam comparatione inter diversi generis scriptores instituta. *August.* Recte etiam Herzog. intelligit *in oculos incurrentem*. Frotscherus adhortatu censoris lenensis ex Tur. recepit *durissima*, ut sensus hic esset: *difficillima — concertatio* est, *weil bei einem ähnlichen Stoffe zu wetteifern am schwierigsten ist*. Sed ut parum auctoritatis illa scriptura habet, ita dura admodum ipsa interpretatio est.

52. *pars eius*] i. e. *pars operis s. carminum eius*. Nam ante de Hesiodo locutus ut homine, iam de eo ut libro loquitur, qui itidem dicitur Hesiodus. Plane consentit noster loquendi usus.

in nominibus] unde sane non multum ad oratorem lucri redundet. Sed de his ipsis nominibus aureola exstat dissertatio Hermanni, quae inscribitur *De Mythologia Graecorum Antiquissima*. *Fr.*

circa praecepta] Hunc *circa* praepositionis usum huius demum aevi scriptoribus frequentari, multi docuerunt, ut Wolf. ad Suet. Claud. 45. Bremi ad eiusd. Caes. 64. Dronke ad Tac. Dial. 3, 4 Cf. infr. 2, 14. 5, 5. 6. Ea quoque ratio, qua pro *κατά* de aetate viri alicuius dicitur, ut *circa Ciceronem floruit*, recentioris est latinitatis. Vid. Zumpt. §. 298.

levitasque — probabilis] *καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς* est apud Dionysium. Intelligi autem compositionem, in qua nihil sit hiulci et asperi et cuius commissurae bene coeant, annotavit Frotscher., comparato libr. II, 5, 9. „quae *levis* et quadrata, sed virilis tamen compositio." Ad intelligendam vim *compositionis* inprimis facient quae Qu. disputavit IX, 4., ubi §. 22. in omni compositione tria dicit genera esse necessaria, *ordinem*, *iuncturam*, *numerum*. Cf. infr. §§. 79. 118. 2, 13. 3, 9. cll. 1, 44. 66.

in illo medio gen. dic.] Cf. ad §. 44. et inf. §. 80. Idem dicendi genus, inter subtilitatem et vehementiam oratoriam interiectum, vocatur etiam *temperatum*, *modicum*, *mediocre*. Cf. Cic. Orat. 6, 21. 25, 91 sqq. 27, 98.

53. *vis et gravitas*] Apud Dionysium est: *Ἀντίμαχος δὲ* [*ἐφρόνησεν*] *εὐτονίας καὶ ἀγωνιστικῆς τραχύτητος καὶ τοῦ συνήθους τῆς ἐξαλλαγῆς*. Non aliter *nervi* tribuuntur Archilocho infr. §. 60., ubi vid. annot.

habet laudem] *ἔχει ἔπαινον*, *coniunctum est cum laude*, *laudatur*. Xenoph. Anab. VII, 6, 33. *ἔχων μὲν ἔπαινον πολὺν πρὸς ὑμῶν ἀπεπορευόμην*, *ἔχων δὲ δὴ ὑμᾶς καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἔπαινον*.

dem. Sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat: et affectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud se-
54 cundum. *Panyasin* ex utroque mixtum putant in eloquendo neutriusque aequare virtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari. *Apollonius* in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum iudices, neminem sui temporis in numerum re-

---

§. 54. *mixtum — neutriusque*] Al. *mixtum putant, in eloq. neutrius aeq. — poetarum iudices*] Ex Tur. et Alm. Frotsch. recepit *poetarum iudicium*, quasi *iudicium* non sit sententia, sed societas iudicum. Tur. sec. m. *iuditio*. Leid. A. *indicio*. Camp. *iudicio*, quod probatur Geelio, ut sit *ἐν τῇ τῶν ποιητῶν κρίσει*. Sed ita *in* addi debebat.

---

secundas — deferat] Nam *primas* occupavit Homerus. De loquendi genere cf. Cic. Brut. 21, 84. „Ingenii, literarum, eloquentiae, sapientiae denique etsi utrique *primas*, *priores* tamen libenter *deferunt* Laelio." Ib. 5, 18. „M. Antonius, cui vel *primas* eloquentiae patrum nostrorum *tribuebat* aetas." Ib. 49, 183. „Cotta et Sulpicius quum meo iudicio tum omnium facile *primas tulerunt*." Infr. §. 58. „*Secundas* confessione plurimorum Philetas *occupavit*," et §. 72. „consensu tamen omnium *meruit credi secundus*." Notandus praeterea in hoc loco defectus *tamen* particulae, quam post *deferat* exspectabas propter praegressum *quamvis*.

proximum — secundum] Perperam *proximi* et *secundi* differentiam cum Gesnero interpretatus est Spaldingius. Vid. infr. ad §. 86.

54. *ex utroque*] Hesiodo et Antimacho. Dionysius haec habet: *Πανύασις δὴ τάς τε ἀμφοῖν ἀρετὰς ἠνέγκατο καὶ αὐτῶν πραγματείᾳ καὶ τῇ κατ' αὐτὸν οἰκονομίᾳ διήνεγκεν.*

aequare] i. e. *consequi*. Nam ubi *aequare* accusativum asciscit, verbi transitivi vim accipit. Cf. 2, 10. Comparandi significatu praeditum idem verbum cum dativo vel personae vel rei iungitur, ut §§. 50. 101. 2, 10.

materia] quam Graeci rhetores *πραγματείαν* vocant. Vid. Dionysii locum modo allatum et Brem. ad Isocrat. Praef. p. VI. Superat autem Panyasis *materia* Hesiodum, *disponendi ratione* (*οἰκονομίᾳ*) Antimachum. Idem voluisse videtur Dionysius.

in ordinem — venit] *In ordinem venire*, *in ordinem s. numerum redigi*, *recipi* dicebantur ii scriptores quos Grammatici Alexandrini, in quibus prae ceteris eminent Aristarchus et Aristophanes Byzantius in indices suos s. canonas reciperent. Contrarium est *eximi numero*.

degerunt: non tamen contemnendum edidit opus aequali quadam mediocritate. *Arati* materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere *Theocritus*, sed musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat. Audire videor undique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta non bene *Pisandros?* Quid? *Nicandrum* frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid? *Euphorionem* transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum

---

non tam. cont. — mediocritate] i. e. opus satis probabile propter quandam mediocritatem, eandem in omnibus partibus dicendi rationem tenentem, quae nusquam aut assurgit aut cadit. Cf. §. 86. Alium sensum exprimere mihi videtur Herzogii interpretatio: „*doch macht eine gewisse gleichförmige Mittelmäſsigkeit sein Werk nicht ganz verwerflich.*"

55. *ut in qua — sit*] §. 57. „*ut qui dixerim.*" 74. „*ut qui diu fuerit* orator." 2, 13. „*ut quorum* certissima *sit* regula in consuetudine." Similiter 1, 76. „*ut quum — tulerit.*" *Ut* in hac structura Graeco ὡς, nostro *als* respondens tum illustrandae tum restringendae sententiae servit. Cf. Zumpt. Gr. §. 565. Herzog. ad Caes. B. G. V, 33.

sufficit t. operi] int. *Aratus*. Infr. §. 123. „Brutus suffecit ponderi rerum."

56. *Quid?*] Intell. *inquiunt*, cuius verbi omissionem hic suadebat vividior oratio. Eadem de causa statim post *Pisandros* omissum videmus *cecinit* vel simile quid. — De seq. *non* vid. ad 2, 25.

frustra] Statim sequitur: „Horatius *frustra* Tyrtaeum Homero subiungit?" Utroque loco Herzog. *frustra* interpretatur *sine effectu*, sensu prioris loci sic constituto: „Merkt man es denn nicht dem Macer und Virgil an, dafs sie den *Nicander* zum Vorbild sich genommen hatten?" Alterum *frustra* idem non putat *subiective* dictum, ut ad Horatium referatur, sed *obiective*, ut sit *umsonst und ohne Erfolg für uns und unser Urtheil.* At multo simplicior et verior Wolfii ratio, qui *frustra* interpretatur *sine causa*, ut I, 10, 15. „Non igitur *frustra* Plato civili viro, quem πολιτικόν vocant, necessariam musicen credidit." Sic XII, 2, 5. „Neque enim *frustra* in tertio de Oratore libro L. Crassus cuncta, quae *de aequo, iusto, vero, bono* — dicantur, propria esse oratoris affirmat." *Frustra* et *sine causa* ut synonyma iunxit Cic. Div. II, 60. „nec *frustra ac sine causa* quid facere deo dignum est." Cf. Hand. Turs. II. p. 746. sq.

Chalcidico versu] quali usus fuerat Euphorio Chalcide, Euboeae oppido, oriundus. *Fr.* Respicitur autem Virg. Eclog. X, 50. ubi v. I. H. Voss.

fecisset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius
57 frustra *Tyrtaeum* Homero subiungit? Nec sane quisquam est tam procul a cognitione eorum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca sumtum transferre in libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo nec utique damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid: sed ad illos iam perfectis constitutisque
58 viribus revertemur. Quod in coenis grandibus saepe facimus, ut cum optimis satiati sumus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Tunc et elegiam

---

Horatius] Ep. ad Pison. 401 sq. „Post hos insignis *Homerus; Tyrtaeusque* mares animos in Martia bella Versibus exacuit."

57. *Nec sane*] His verbis continuantur superiora illa: „Audire videor — poetarum."

indicem] Alius est *index*, quales singulis libris inscribuntur vel applicantur, alius libellus recensum continens complurium scriptorum, velut apud L. Senecam Epist. 39. *index philosophorum*, et Plin. Epist. III, 5, 2. ubi *indicis vice se functurum* ait. *Indices* unius cuiusdam scriptoris a Romanis criticis factos vide Gell. III, 8. *Sp.*

ut qui dixerim] supra §. 40.

iam perfectis — viribus] non „dum assequimur illam firmam facilitatem" (§. 59.). *Iam* non cum verbo finito *revertemur*, sed cum participiis iungendum, ut §. 122. „*consummati iam* patroni" et §. 131. „*iam robustis* et severiore genere satis *firmatis* legendus." Ceterum sententia eadem dicitur I, 8, 6. „*ad firmius aetatis robur* reservetur", et ib. §. 12. „verum priora illa ad pueros magis, haec sequentia *ad robustiores pertinebunt*."

58. *Quod — facimus, ut*] Idem genus structurae habes 9, 6. „*Quod* in certamine saliendi *fieri* videmus, *ut* conatum longius petant." 5, 18. „*Quod accidisse* etiam Porcio Latroni — traditur, *ut* — impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur." 7, 11. „*Quo constant* miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, *ut* ea quae emiserint ultro venire in manus credas." Hic loquendi usus, quo quae priore enuntiatione antecedentibus per pronomen relativum annexa indefinite dicta sunt, accuratius definiuntur posteriore ab *ut* coniunctione incipiente, in iis locis obtinet, ubi rei illustrandae exempla proferuntur.

varietas — ex vilioribus] „*die Abwechselung mit dem Geringern.*" *Herz.* Intelligenda varietas, *quae ex vilioribus sit s. oriatur.* Cf. Lucret. I, 654 sq. „nedum *variantia* rerum tanta queat — *ex ignibus esse.*" — Adiectum *tamen* indicat, in verbis *cum — sumus* concessivam latere particulam. Cf. ad §. 36.

Tunc] quum optimorum lectione vires iam perfeceris et constitueris. Elegiam et hendecasyllabos propter argumenti lasciviam amovenda esse a pueris, si fieri possit; si minus, certe ad firmius aetatis robur reservanda, docet Quint. I, 8, 6.

vacabit in manus sumere, cuius princeps habetur *Callimachus*, secundas confessione plurimorum *Philetas* occupavit. Sed dum assequimur illam firmam, ut 59
dixi, facilitatem, optimis assuescendum est et multa magis quam multorum lectione formanda mens et ducendus color. Itaque ex tribus receptis Aristarchi iudicio scriptoribus iamborum ad ἕξιν maxime pertinebit unus *Archilochus*. Summa in hoc vis elocutionis, 60
cum validae tum breves vibrantesque sententiae, plurimum sanguinis atque nervorum, adeo ut videatur

---

59. *dum assequimur*] „*bis wir — erreichen*" convertit Herzog. Rectius vertisset: *so lange wir zu erreichen streben.*" Sic praesentia et imperfecta verborum plurima et apud Latinos et apud Graecos dicuntur de conatu. Frotscherus conferri iubet §. 31, „*evitat.*"

ut dixi] *wie ich mich ausdrückte*, ad sensum non differt ab *quam dixi*, *wie ich es (sie) nannte*. Spectant haec verba ad §. 1.

multa lectione] i. e. *assidua lectione*, qua quidem efficitur hoc, ut oratio paulatim e scriptoribus lectis similem habitum, colorem formamque accipiat. Cf. Plin. Ep. VII, 9, 15. „Tu memineris sui cuiusque generis auctores diligenter eligere: *aiunt enim*, *multum legendum esse*, *non multa*.

ducendus color] Virg. Eclog. IX, 49. „*duceret* apricis in solibus uva *colorem*." Senec. Ep. 108. „Novimus quosdam, qui multos apud philosophum annos persederint et ne *colorem* quidem *duxerint*." Cic. de Orat. II, 14, 60. „Quid ergo est? fatebor: aliquid tamen; ut quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri tamen natura, ut *colorer*, sic quum istos libros — studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi *colorari*." Orat. 13, 42. „educata huius [sc. generis epidictici] nutrimentis eloquentia ipsa *se* postea *colorat* et roborat." De voce *color* cf. etiam ad §. 116.

ex tribus] Praeter *Archilochum* Aristarchus grammaticus in ordinem redegerat *Simonidem* et *Hipponactem*. Apud Cic. Orat. 1, 4. Archilochus componitur cum Homero, Sophocle, Pindaro.

60. *vibrantes sententiae*] Figuram elegantem tum a fulminibus tum a iaculorum rapiditate desumtam esse, auctor est Ellendt. ad Cic. Brut. 95, 326. ubi haec leguntur: „Erat oratio quum *incitata* et *vibrans*, tum etiam accurata et polita." Cf. Orat. 70, 234. „Demosthenis non tam *vibrarent fulmina*, nisi numeris contorta ferrentur." Quint. XII, 9, 3. „nec illis *vibrantibus concitatisque sententiis* velut *missilibus* utetur." XI, 3, 120. „qui *sententias vibrantes* digitis *iaculantur*."

sanguinis atque nervorum] *Sanguis* translate in oratione dicitur pro iusta copia et vi sententiarum et verborum, ita ut nec desit quidquam nec redundet et vim habeat oratio ad auditorum attentionem animosque commovendos. *Schuetz.* in Lex. Cic. s. h. v. Cf. Cic. de opt. gen. oratt. c. 3. „qui [sc. Attici oratores] quamvis careant omni vitio, non sunt copiosi quasi *bona valitudine*, sed *vires*, *lacertos*,

quibusdam, quod quoquam minor est, materiae esse, 61 non ingenii vitium. Novem vero Lyricorum longe *Pindarus* princeps spiritus magnificentia, sententiis,

---

§. 60. *quibusdam*] Tur. *quibus*. — *quod quoquam*] Ita Tur. Idem tamen a sec. m. *quod quoque*, quod est in Fl. a pr. m. Hic a sec. m. tuetur *quod quidem*, ut Guelf. Goth. Camp. Par. 1. 2. cum edd. ante Basil.

---

sanguinem quaerunt." Orat. c. 23. „Etsi enim [sc. orationis subtilitas] non plurimi *sanguinis* est, habeat tamen *succum*: aliquem oportet, ut etiam si illis *maximis viribus* careat, sit ut ita dicam *integra valitudine*. Adde infr. §. 115. et 2, 11. — *Nervos* maxime inesse in illis dicendi formis, quae hanc vim habent, ut animos gravius moveant, incitent, quales sunt quas Graeci *ἐναγωνίους*, *ἐμπαθεῖς*, *παθητικάς* dixerunt, e pluribus inter se collatis locis colligit Ernest. p. 262.

quibusdam] Genslerus putat delendum *quibusdam*, quoniam Qu. *suam* sententiam proponat, non *aliorum quorundam*. Nam si hoc voluisset, eum dicturum fuisse *quod — minor sit*. At hoc secus est. Nam quod dicit *quod — minor est*, hoc ita dicit, ut sibi quoque interdum minorem videri Archilochum significet. At vero in eo non assentitur *quibusdam*, quod, sicubi minor est, id non esse nisi *materiae* vitium putant. Namque etiam Archilochus *homo* erat. Vid. §. 24. *Fr.*

quoquam] sc. poetarum; tot tantaeque in eo sunt excellentiae, ut par esset optimis, nisi materiae vitium prohiberet. *Gernh.* Si scriptura haec Spaldingii sana est, conferri potest Senec. de tranq. 11. „cuivis potest accidere, quod *cuiquam* potest", quem locum attulit Zumpt. Gr. §. 710., quo demonstraret, fieri interdum, quanquam perraro, ut *quisquam* etiam in aientibus ponatur sententiis. Parum placet et Gensleri *quandoque* et Frotscheri *quondam*, quod cum Heindorfio ad Horat. Sat. II, 2, 82. interpretatur *quodam tempore, interdum*, quam significationem habet in versu Virgil. Aen. II, 367. Nam ita *minor* caret ablativo et manca fit oratio. Cf. §. 74. „Theopompus — *praedictis minor*." §. 103. „sed in quibusdam *suis* ipse *viribus* minor." Omnium tamen infelicissime Herzogius scribendum coniecit: „ut videatur, *quibus quoque minor est*, materiae — vitium", quasi *quibus quoque* dicere liceat pro *iis quoque, quibus*.

61. *Novem — Lyricorum*] Hi sunt *Alcman*, *Alcaeus*, *Sappho*, *Stesichorus*, *Ibycus*, *Anacreon*, *Simonides*, *Baechylides*, *Pindarus*. Addunt nonnulli *Corinnam*.

longe — princeps] Eodem modo Graecorum *πολύ* persaepe a superlativo suo vel comparativo dirimitur. Vid. ad Xenoph. Sympos. I, 4. et quae de simili usu adverbiorum *πάνυ*, *μάλα* etc. ad eiusdem libri cap. 2, 4. annotavimus.

spiritus magn. etc.] Dionys. Hal.: *Ζηλωτὸς δὲ καὶ Πίνδαρος ὀνομάτων καὶ νοημάτων εἵνεκα, καὶ μεγαλοπρεπείας καὶ τόνου, καὶ πε-*

figuris, beatissima rerum verborumque copia, velut quodam eloquentiae flumine: propter quae Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. *Stesichorum*, 62
quam sit ingenio validus, materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem, ac si tenuisset modum, videtur aemulari proxi-

---

§. 61. *velut*] Al. *et velut*, quod edidit Herzog. „propter gradationem sententiarum." — §. 62. *Stesichorum*] Libri antiquissimi nominativum habent. — *canentem — sustinentem*] Al. *canente — sustinente.*

ριουσίας καὶ κατασκευῆς, καὶ δυνάμεως καὶ πικρίας μετὰ ἡδονῆς, καὶ πυκνότητος καὶ σεμνότητος, καὶ γνωμολογίας καὶ ἐνεργείας, καὶ σχηματισμῶν καὶ ἠθοποιΐας, καὶ αὐξήσεως καὶ δεινώσεως, μάλιστα δὲ τῶν εἰς σωφροσύνην καὶ εὐσεβείαν καὶ μεγαλοπρέπειαν ἠθῶν. De *spiritu* v. ad §. 27. — De *magnificentia* quaedam exponuntur IV, 2, 61. — *Sententiae* hic intelligendae eae, quas Graeci vocant *γνώμας*. V. ad §. 68. — De *figuris* dictum ad §. 28.

beatissima — copia] *Beatus* pertinet ad laetam quandam ubertatem significandam excludendamque inopiam et tenuitatem. Cf. §. 119. 3, 22.

Horatius] Carm. IV, 2.

62. *Stesichorum — ostendunt*] Ne apud Latinos quidem scriptores rara sunt exempla huius structurae, quam Grammatici *attractionem subiecti* vocant. Cic. Fam. 8, 10. „Nosti *Marcellum*, quam tardus et parum efficax sit." Vid. Grotef. Gr. §. 552. Nostro quidem loco Qu. non poterat hoc constructionis genere non uti, nisi in sqq. abstinere vellet participiis. Nam *Stesichorus — canens — sustinens* nemo erit qui ferat.

lyra] refertur ad genus levioris carminis, quod inde *lyricum* vocant, quo *amores*, *deorum* atque *heroum laudes* aliaeque eiusmodi res celebrari solebant. Itaque hoc dicit Fabius, Stesichorum res illas grandes, bella et fortia facta, quae epico carmini conveniant, carmini lyrico intexuisse. Apud Dionysium de Stesichoro haec sunt: Ὅρα δὲ καὶ Στησίχορον ἔκ τε τοῖς ἑκατέρου τῶν προειρημένων (Pindari et Simonidis) πλεονεκτήμασι κατορθοῦντα, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὧν ἐκεῖνοι λείπονται κρατοῦντα· λέγω δὲ τῆς μεγαλοπρεπείας τῶν κατὰ τὰς ὑποθέσεις πραγμάτων, ἐν οἷς τὰ ἤθη καὶ τὰ ἀξιώματα τῶν προσώπων τετήρηκεν.

videtur — potuisse] i. e. *potuisset*, *ut videtur*, Graece δοκεῖ ἂν δυνηθῆναι, i. e. ἠδυνήθη ἄν, ὡς δοκεῖ. Nimirum non verbum finitum *(videtur)*, sed infinitivus *(potuisse)* spectat conditionem: *si tenuisset modum*. Aliter Grotef. Gr. §. 310. p. 225., qui structuram sic explicandam censet: „videtur aemulari proximus Homerum po-

mus Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiae vitium
63 est. *Alcaeus* in parte operis *aureo plectro* merito donatur, quia tyrannos insectatus multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis et magnificus et diligens et plerumque oratori similis; sed et lusit

---

§. 63. *quia*] Sic optimi codd. pro *qua*. — *et plerumque*] Herzog. *et plurimum* cum nonn. codd. et edd. — *oratori*] coniecerat Spald. exhibetque Col. *orationis* Tur. et a pr. m. Flor. cum Alm. Voss. 3., unde Herzog. *orationi* effecit. Vulg. *Homero*. Sed cf. §§. 65. 68. 70. 74. — *sed et lusit*] Ita Voss. 1. et 3. cum Col. Spalding. retinuit vulgat. *sed in lusus et amores descendit*. At Tur. Fl. (hic pr. m.) et Alm. *sed et eius sit*, in qua scriptura Spaldingio latere videbatur *sed et Teius fit*, Herzogio *sed et in peius it*, vel *sed et ut Teius lusit*. Sarpius *Teium* in *Anacreontis* locum venisse ratus, scribendum censuit *Sed Anacreon lusit*, cl. Horat. IV, 9, 9. Sed vide Matthiae Alcaei Mytil. reliq. p. 4. Welcker. Iahn. Annall. 1830. I. 1. p. 20. et annot. nostr.

---

tuisse, *et proximus aemulatus esset*, si tenuisset modum." Frotscherus Graecam dicit structuram Latinorum optimis scriptoribus usitatissimam conferrique iubet infr. 2, 4. „Quid enim *futurum erat — si* homines — *putassent*." add. hic §. 98. Iustin. Hist. I, 7, 10. „*Passurusque — fuit, si — consuluisset*." Quorum locorum plane alia est ratio. Non magis opportune Augustus excitavit Hermannum ad Soph. Electr. 902. — *proximus* interpretabere *ita ut proximus accederet* scil. ad Homerum. Ceterum Simonides quoque ap. Athenaeum IV, p. 172. E. Stesichorum iuxta Homerum nominat.

redundat atque effunditur] Male Herz.: „*er vergiſst sich und läſst sich hinreiſsen*." Propria haec verba dicuntur de aquis aut liquoribus, quum adeo augentur, ut se ripis, littoribus aut vasis non contineant. Translate quidquid in oratione copiae et impetus concitatioris notionem afferret, rhetores Latini dilucida metaphora effusum dixerunt. Ita fere *Ernest*. p. 142.

copiae vitium] II, 4, 4. „Peius tamen illud (vitium), quod ex *inopia* quam quod ex *copia* venit."

63. *in parte*] *ob partem*, *de parte* interpretatur *Spald*. Vid. supra ad §. 9. — *Aureum plectrum* (*χρύσεον πλῆκτρον*, Pindar. Nem. V, 44.) sumsit Qu. ab Horatio Carm. II, 13. Dionysius haec habet: *Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος, ἔτι δὲ καὶ τοὺς σχηματισμοὺς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τι κεκάκωται· καὶ πρὸ ἁπάντων τὸ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἦθος. Πολλαχοῦ γοῦν τὸ μέτρον τις εἰ περιέλοι, ῥητορικὴν ἂν εὕροι πολιτείαν.*

tyrannos — confert] Respicit Alcaei carmina, irae et acerbitatis in tyrannos, Myrsilum et Pittacum, a quibus e patria pulsus fuerat, plenissima: in quibus tamen multum etiam moribus confert sententiis

et in amores descendit, maioribus tamen aptior. *Simonides*, tenuis alioqui, sermone proprio et iucundi- 64

et in amores] optt. lib. pro *et amores*.

virtutem commendantibus. *Frotsch.* Carmina Alcaei, quae factiones illas, quae optimates inter et cives decem per annos fuisse dicuntur, attigerunt, στασιωτικά appellata sunt. V. Plehn. Lesb. p. 46. Welcker. Iahn. Annall. 1830. I, 1. p. 14 sqq. *August.* Idem comparavit Diog. Laert. I, 81. Strab. XIII, p. 917. Alm.

sed et lusit — aptior] i. e. sed et leviores res animi iocique causa et venereas tractavit, quibus tamen minus se exhibuit aptum quam rebus maioribus. Perperam Herzog. postrema verba reddidit „*doch eignet er sich mehr für Erwachsenere.*" Cf. §. 77. „sed minoribus causis — magis par." De Alcaei poesi amatoria mentionem iniicit Cic. Tusc. IV, 33. „Fortis vir in sua re publica cognitus quae de iuvenum amore scribit Alcaeus!" Sarpii coniectura *Sed Anacreon lusit* miror quomodo probari potuerit Frotschero. Neque enim in amatorium istum poetam verba *maioribus tamen aptior* conveniunt, neque Dionysius in censura quidem vett. script. commemorat Anacreontem, quippe ad instituendum oratorem parum idoneum.

64. *Simonides, tenuis alioqui*] Non memini, qui praeterea sic sentiat de Simonide. Dionysius quidem haec l. c. p. 420. „Σιμωνίδου δὲ παρατήρει τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀναμάτων, τῆς συνθέσεως τὴν ἀκρίβειαν· πρὸς τούτοις καθ' ὃ βελτίων εὑρίσκεται καὶ Πινδάρου, τὸ οἰκτίζεσθαι μὴ μεγαλοπρεπῶς, ὡς ἐκεῖνος, ἀλλὰ παθητικῶς. (Extrema transponendo sanavi: est enim in libris ἀλλ' ὡς ἐκεῖνος παθ.) Quae hic de οἰκτισμῷ eius proferuntur et a Qu. de commovenda miseratione, spectant ad Θρήνους, in quo opere excelluit Simonides habuitque aemulum, sed imparem, Pindarum. Cf. Schneider. in fragmm. Pind. p. 20. Aeschylum quoque vicit idem laudandis iis, qui in victoria Marathonia occubuerant: qua de re propositum fuit praemium in ludis Olympicis. — Qualis autem vis fuerit Simonidis in miseratione movenda, exemplum habemus praeclarum lamentationem Danaes apud Dionysium de structura extr. Ceterum in illo μὴ μεγαλοπρεπῶς inest aliqua *tenuitatis* significatio. *Spald.* *alioqui* significat conditionem, quae in aliis vel reliquis partibus est, ideoque semper habet, cui opponatur illud reliquum. Ita componitur cum nominibus adiectivis, quibus aut praeponitur aut adiungitur. Est igitur ἄλλως, *in andrer Hinsicht*, *übrigens*, *sonst: ceterum.* *Hand* Tursell. I. p. 236 sq. Cf. infr. §. 128. et 3, 22. Plin. Ep. III, 11, 9. 14, 1. VI, 6, 3. 23, 1. Saepe etiam interpretari licet *praeterea*, *auſserdem.* Sed infra 3, 13. est nostrum *an sich*, *an sich schon.* Vid. ibi annot. Ad totam aliquam sententiam si refertur, *alioqui*, quod est *alio modo*, comprehendit sensum verborum: *nisi hoc ita se habet*, *quod si aliter esset:* ubi Graeci dicunt ἄλλως, nos *sonst*, *widrigenfalls.* Hoc usu *alioqui* plerumque ab initio sententiae ponitur, non semper. Vid. Hand. l. c. pag. 240. Cfr. infra 3, 7. 16. 30. 6, 6. Ciceronis libris haec particula plus semel illata est a grammaticis: nam ipsum Tullium ea plane abstinuisse, demonstravit Hand. p. 235. sq. Alteram formam *alioquin* iam antiqui-

tate quadam commendari potest: praecipua tamen eius in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant. 65 Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis est et insectandis vitiis praecipua: plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta: et nescio an ulla, post Ho-

---

§. 65. *libertatis est et*] De Wolffii coniectura pro vulg. *libertatis, etsi est.*

---

tus fuisse qui improbarent, Gaper grammaticus testatur. Plura de ea re vid. apud Handium l. c.

iucunditate] Carminis lyrici praecipua virtus *iucunditas*. Cf. Tacit. Dial. 10, 5. „Nec solum cothurnum nostrum aut heroïci carminis sonum, sed *lyricorum* quoque *iucunditatem* et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo."

65. *libertatis*] i. e. *παῤῥησίας*, *Freimüthigkeit*. Cf. §§. 94. 104.

insectandis vitiis] i. e. *ad insectanda vitia*.

grandis] intell. de elocutione sublimi, magnifica, ampla. Inprimis, inquit Ernest. pag. 190., *grandem* orationem dixisse videntur, quae verba haberet pleniora, veluti os implentia, et ex antiquitate aliquit dignitatis et roboris trahentia. Unde *grandem antiquamque* orationem iunxit Cic. de Orat. III, 38. et in Brut. 7. veteres illos oratores, qui ante Thucydidem vel cum eo vigebant, Alcibiadem, Critiam, Theramenem *grandes verbis* fuisse iudicat. Cf. infr. §. 88. et 2, 16.

elegans et venusta] Spalding. desiderabat tenue illud quod inter *elegans* et *venustum* intercedere posset discrimen. Wolfius rhetorem a sublimitate ait descendere ad elegantiam, ab elegantia ad veneres sermonis, intelligitque *elegantiam* de *arte*, *venustatem* de *nativa* in iocis *urbanitate*. Cf. §. 99 — 100. et ad §. 78. De *venusto* v. ad §. 79.

nescio an ulla] int. *poesis*, quae notio ex praecedente v. *comoedia* eruenda est. Cf. ad §. 29. Quod Spaldingius e coniectura dedit *nulla*, id sane convenit cum usu Ciceronis, apud quem formula *nescio an*, *haud scio an* ubique est *coniicientis* vel *modeste affirmantis*, *aliquid non esse*, ut necessario requirat negativam *nullus*, *nunquam*. Sed recentioris aetatis scriptores *nescio an* promiscue utuntur, nunc pro *fortasse* (vid. infr. 6, 1. 7, 29.) ad affirmandam verecunde sententiam, nunc pro *non puto*, *vix* ad negandam, ut VI, 3, 6. „motu animi quodam *nescio an* enarrabili." Atque haec posterior ratio ita praevalet, ut apud Quintilianum quidem illi formulae ubique subiiciatur affirmativa *ullus*, *unquam*, *quisquam*. Sic VII, 2, 41. „Et persona

merum tamen, quem, ut Achillem, semper excipi par est, aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior. Plures eius auctores: *Aristophanes* 66 tamen et *Eupolis Cratinus*que praecipui. Tragoedias primus in lucem *Aeschylus* protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis

---

§. 66. *primus*] Spalding. *primum*, idque revocavit Herzog., quanquam libri editi non agnoscunt. Cf. §. 80. Zumpt. Gr. §. 686.

---

quidem *nescio an unquam*, utique in vero actu rei, possit incidere, de qua neutra pars dicat." IX, 4, 1. „cui *nescio an ulla* pars operis huius sit magis elaborata." XII, 10, 2. „atque ideo nondum est perfectus orator, ac *nescio an* ars *ulla*." ad quem locum vide quae annotavit Buttm. Adde Zumpt. §. 721. cl. §. 354. Grotef. §. 308. et inprimis Hand. Tursell I. pag. 323 sqq. Vehementer falli qui arbitrantur eam esse pronominum *quisquam*, *ullus* naturam, ut in iis lateat negatio, idem docuit Hand. p. 326.

Achillem] Vid. Il. β', 673. et 768 sqq.

66. *Cratinusque*] De *que* particula postremo affixa membro in plurium rerum enarratione vid. Zumpt. §. 333. Nostro loco propter praecedens *et* comparabis Nep. Attic. XI, 2. „L. Iulium Mocillam praetorium *et* eius filium Aulum*que* Torquatum ceterosque pari fortuna perculsos." — Sequens *praecipui* superlativi vim habet, ut §§. 37. 64. 68. 80. 81. 116. 2, 1. 7, 5.

Tragoedias — Aeschyl. prot.] Rudibus initiis ortam tragoediam, cuius inventor perhibetur Thespis (Horat. A. P. 275. sqq.), primus artis in modum temperavit et excitavit velut iacentem Aeschylus: isque ad hoc genus et rerum verborumque gravitatem attulit et scenae ornatum aliaque, quae magnificam quandam ac splendidam oculis speciem obiicerent, addidit; quumque iis temporibus natus esset, quibus nec poetarum ingeniis hoc opus illustratum esset nec vulgi studiis vigeret, tantam est laudem gloriamque consequutus, ut idem et parens tragoediae diceretur (Philostrat. V. A. VI, 11. p. 245.) et eam prope perfectam reliquisse videretur. *Pflugk.* Praef. ad Euripid. I. p. XI.

sublimis et gravis] In tali appositione, quae integrae sententiae subiicitur, apud Ciceronem frequentissime additum legitur *ille quidem*, velut Brut. 9, 37. „Phalereus enim successit eis senibus, *eruditissimus ille quidem* horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra." Nostrae linguae indoles flagitat nomen aliquod appellativum, quo ne Latini quidem scriptores abstinere solent. Sic Cic. Brut. 32, 122. „Curio fuit eiusdem aetatis, sane illustris *orator*." Cf. infra §. 102. „Servilius Nonianus — qui et ipse a nobis auditus est, elati *vir* ingenii et sententiis creber, sed minus pressus." 8, 12. „Iulium Secundum — mirae facundiae *virum*, infinitae tamen curae." Adde ad §. 80. annotata.

grandiloquus] μεγαλόφωνος. Cicero Orat. 5, 20. oratores sublimi genere excellentes ita designat: „*grandiloqui*, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum."

in plerisque et incompositus: propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coro-
67 nati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus *So-*

---

incompositus] i. e. *horridus, incultus.* Cf. IX, 4, 3. „Neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem *compositionis* excludant atque illum *horridum* sermonem, *ut forte fluxerit*, modo magis naturalem modo etiam magis virilem esse contendant." Infra 2, 17. iunguntur *horride* atque *incomposite.* Cf. supra ad §. 44.

correctas — permisere] Quinctiliano — non modo nullus adstipulatur alius scriptor, sed quidam aperte repugnant, de qua re dixit iam ad Quinctilianum Gesnerus. Quin Lycurgi oratoris rogatione decretum fuit, fabulas Aeschyli, Sophoclis et Euripidis, publica auctoritate descriptas, inspici, dum agerentur, a scriba civitatis, ne quid histriones suo arbitrio mutarent, ut Plutarchus refert in vitis X. oratorum p. 841. F. his verbis: *τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτοὺς* [histriones, puta] *ὑποκρίνεσθαι. Hermann.* Opusc. Vol. II. p. 155. Cf. Pflugk. l. c. p. X. Aeschyli etiam mortui fabulas victoriam reportasse, alii quoque testantur, ut Philostrat. Vita Apollon. p. 245. „*Ἀθηναῖοι ἐκάλουν* (*αὐτὸν*) *καὶ τεθνεῶτα εἰς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς·* et Suidas v. *Εὐφορίων*, ubi hic Aeschyli filius narratur *τοῖς τοῦ πατρὸς — οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις νικῆσαι.* Sed de correctione fabularum eo magis dubitare licet, quod saepius turbantem aliquid deprehendimus Fabium in rerum *veterum* memoria. Cf. ad §§. 22. 107. 7, 27. — *certamen* intellige *musicum*, in quod constat poetas descendisse. Vid. Schoell. Lit. Graec. interprete Schwarzio I. p. 216.

67. *hoc opus*] int. tragoediam. Cf. §. 67. et supra ad §. 31. „*Opus* ut Graecum *ἔργον* et *ἐργάζεσθαι* primum de agro colendo dici, quod id primum sit humanae industriae opificium, Gernhard. ad Cic. de Senect. 16, 57. docuit. Hoc ad alia, inprimis vitae publicae munera traductum id dicitur, quod rem sua natura penitus complectitur numerisque suis perfectum est. Ita *opus oratorium* in primis frequens." *Ellendt.* ad Cic. Brut. 54, 200. Ceterum „Sophocles, qui et ipse inventis quibusdam auxit rem scenicam, quum par esset Aeschylo sublimitate ingenii et gravitate, eum tamen arte et iudicio et quadam incredibili suavitate superavit, idque ipsum, quod esset in hoc genere ultimum et extremum, quo nihil cogitari posset praestantius, visus est reperisse. His duobus Euripidem ita adiunxit communis antiquitatis opinio, ut primas quidem artis ingeniique haud dubie tenerent Aeschylus et Sophocles, proximum locum nemo non Euripidi concederet. Quanquam in huius quidem laudem non ita conspirant veteres, ut nihil in eo reprehenderint: quorum testimonia si quis colligere instituerit, in tantam incurret iudiciorum dissensionem, ut quo pacto in eodem homine tam diversa inesse potuerint, vix intelligi posse videatur." Pauca haec excerpsi ex egregia Pflugkii dissertatione supra laudata, quam si recte velis de Euripide iudicare, totam perlegas oportet.

phocles atque *Euripides:* quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. Idque ego sane, quoniam ad praesentem materiam nihil pertinet, iniudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe fore *Euripiden.* Nam- 68
que is et in sermone (quod ipsum reprehendunt quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi et sententiis

---

§. 67. *fore Euripiden*] Sic Tur. pro *Euripidem fore.* — §. 68. *Namque is et in ser.*] Herzog. *Namque et sermone.* Librorum scriptura corrupta. — *reprehendunt*] Tur. et Fl. *reprehendet.* Camp. *reprehenderet.* Hinc Herz. *reprehendent.*

---

quoniam] Zumpt. §. 346. Grotef. §. 327. et 521. Cf. infra §. 71. 3, 13.

utiliorem longe] Adverbiorum locus non ita certus est, ut variari non possit pro consilio scriptoris. Ab initio huius ipsius paragraphi erat *longe clarius.* §. 70. legitur *longe magis.* Cic. de Sen. 2, 6. *ante multo.* Tusc. III, 14. *longe ante.* Caes. B. G. I, 20. *post paulo.* Tacit. Dial. 12, 6. *fabulosa nimis.* Cf. ad §. 71. et supra ad §. 61. cll. §§. 76. 98 Ceterum antiquiores scriptores, in his Cicero, *longe* maluerunt cum superlativis iungere quam cum comparativis, quorum vim augere solent additis *multo, aliquanto,* qui ablativi adverbiorum vicibus funguntur. Ab iisdem illis passim *multo* adiungitur superlativis. Sic Nep. 7, 1. „Alcibiades fuit — *multo formosissimus.*

68. *cothurnus — Sophoclis*] Virgil. Ecl. VIII, 10. „Sola *Sophocleo* tua carmina digna *cothurno.*" — *sonus* non solum ad pronuntiationem et vocem, sed etiam, ut hoc loco, ad rationem dicendi ipsam et elocutionem refertur. Vid. Ernest. p. 364. sqq. Sicut autem recte tribuitur Sophocli *sonus sublimior*, ita non video, quomodo v. *sublimior* accommodari possit *gravitati* et *cothurno*, quippe quae verba ipsa significent *sublime genus dicendi.* Non magis sententiarum nexum capio, quem nemo interpretum explanare necesse habuit. Quum in optimis libris post *sublimior* addatur *erit*, Herzog. edidit: „quod ipsum reprehendent, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis sublimior erit", omissis verbis „*videtur esse*", tanquam ex interpretamento verbi *erit* profectis. Sed quum ne sic quidem sententiae loci consulatur, fortasse illud *erit* est verbum aliquod mutilatum, in quo latere puto *placuerit* vel simile quid. Certe melius oratio sic procederet: „quod ipsum *reprehendent* quibus gr. et coth. et son. Soph. sublimior *placuerit.*" Cf. §. 112. „cui Cicero valde *placebit.*" 2, 23. „si asperitas iis *placuit* alicuius." Hac autem coniectura probata, *sublimior* ad solam vocem *sonus* referes.

sententiis densus] Alias *sententiis creber*, ut §. 102. Cf. Cic. Brut. 7, 29. „grandes erant verbis, *crebri sententiis.*" Suet. Iul. 55.

densus et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus; in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis, qui misera-
69 tione constant, facile praecipuus. Hunc et admiratus maxime est, ut saepe testatur, et secutus, quanquam in opere diverso, *Menander:* qui vel unus, meo qui-

---

qui miseratione constant] Praepositionem *in* ante *miseratione* ex Tur. et Fl. Frotscher. recepit. Affectus enim, qui vario modo moventur, vim suam retinent in ipsa miseratione. Omisso, ut in reliquis libris, *in*, contineri varii intelliguntur affectus una miseratione, qui usus verbi frequens est. Hac quidem sententia *in* cum *constare* iunctum vix reperies. De sententia cf. VI, 1, 23 sqq. *Gernh.* — §. 69. *Hunc et admiratus — et secutus*] Ex auctoritate codd. Herz. restituit *Et adm. — et eum secutus.*

„Quis sententiis aut acutior aut crebrior." Adde Cic. Orat. 23, 79. de Orat. 2, 34. Plin. Ep. I, 16, 2. *Densus*, quod plane Graeco πυκνός respondet, etiam §§. 73. 76. 106. occurrit. *Sententiae* hic sunt γνῶμαι, de quibus exponit Qu. VIII, 5. Ernest. p. 349. Cf. infra ad 2, 17.

paene ipsis par] In philosophorum disputatione quae versantur, quum accepisset Euripides ab Anaxagora, ea tam copiose eleganterque explicavit in tragoediis suis, ut ista etiam qui perdidicerant ipsius ore atque eloquentia ornatiora haud inviti acciperent. Quo factum est, ut et *scenici philosophi* nomine celebraretur et vulgo *sapiens* (σοφός) diceretur et philosophorum multis ornaretur et honorificis testimoniis. *Pflugk.* p. XXVI. sq.

dicendo atque resp.] Sic enim apud Euripidem instituta invenimus colloquia, ut iudiciale ac forense dicendi genus referant: quod quidem haud immerito a Prodici disciplina repetieris, qua illum usum fuisse constat.

comparandus] *aequandus, aequiparandus.* Cf. §. 98. cll. §§. 50. et 101.

in affectibus — praecipuus] Aristoteles quoque „πολλαὶ, ait, (Εὐριπίδου τραγῳδίαι) εἰς δυστυχίαν τελευτῶσι — καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται. *Sp.* Plura vide apud Pflugk. p. XXXV. — *facile* idem quod *haud dubie, unstreitig*, notat.

69. *Hunc — Menander*] Euripidi, cuius summus admirator extitit, totos passim senarios Menandrum surripuisse, alii monuerunt, tum nos ipsi docuimus in Fragmentis. *Aug. Meineke* in libro, qui inscribitur *Menandri et Philemonis Reliquiae*, p. XXXIII. sq.

meo quidem iudicio] Cic. Brut. 9, 32. „aluit eam gloriam, quam nemo, *meo quidem iudicio*, est postea consecutus." Sic infra 7, 1, „*mea quidem sententia.*" Sed supra §. 59. „Aristarchi iudicio." et inf. §. 99. „Aelii Stilonis sententia." Cf. Zumpt. Gr. §. 457.

dem iudicio, diligenter lectus ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat: ita omnem vitae imaginem expressit; tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil profecto viderunt qui ora- 70
tiones, quae Charisii nomine eduntur, a Menandro scriptas putant. Sed mihi longe magis orator probari in opere suo videtur, nisi forte aut illa mala iudicia,

---

§. 70. *eduntur*, *a*] Tur. et Flor. (hic a pr. m.) *adductura*. Alm. *adducuntur*, quod recepit Herz. *nomini addicuntur* est Frotscheri coniectura. Cf. Gell. N. A. III, 3.

---

ita — expressit] Saepe ea vocabula, quibus aut qualitatis notio aut quantitatis inest, velut *ita*, *tam*, *tantopere*, *is*, *tantus*, *tot*, ad rem aliquam magnam vel certe miram, quae in narratione aut sententia erat posita, sic referuntur, ut inserviant argumentationi, qua demonstretur, causae mensuram vel conditionem isti rei esse aequalem et sufficere ad eam efficiendam. Cf. §§. 76. 101. 121. cl. 114. Non fere aliter scriptores post Ciceronis aetatem particula *adeo* usos esse, docuit Hand. Tursell. I. p. 151. — Sententiae causa Spald. comparavit notissimam vocem Aristophanis Byz. Ὦ *Μένανδρε καὶ βιέ, πότερος ἆρ' ὑμῶν πότερον ἐμιμήσατο*; et Manilii (V, 470.) „Menander, Qui vitam ostendit vitae."

70. *Sed mihi — videtur*] Quae Charisio adscribuntur orationes, ostendunt illae quidem oratoriam virtutem neque absurde Menandri ingenio deberi iudicantur, ita ut, si illas pro Menandreis habere velis, bonum oratorem Menandrum fuisse ex his orationibus intelligas; sed quanta vis eloquendi in hoc viro fuerit, multo id significantius ipsae eius declarant comoediae. *Fr.* De sententia verborum „*in opere suo*" vid. ad §. 31. Cf. §. 69. „in opere diverso." Minus recte Herzogius: „Indefs scheint er mir doch als Redner weit mehr noch *in den ihm angehörenden Produkten* sich zu bewähren."

nisi forte — iudicia] Verba *nisi forte* ironiae inserviunt, quum is, qui loquitur, significat eo, quod fortasse contradici possit, non infringi sententiam suam, sed absurdum aut incredibile esse illud. Germani dicunt *wenn nicht etwa*, *wenn nicht gar*. Sed ipsa particula *forte* non est quae ironiam designet, siquidem eadem sententia verbis *nisi vero* et uno *nisi* exprimitur. Id vero *forte* efficit, ut intelligatur res insolentior et alienior, quae vix assensorem inveniat. *Hand.* Tursell. II. p. 737. sq. Cf. infr. 2, 8. 5, 6. 7. Zumpt. Gr. §. 526. Grotef. §. 548. — Ad *mala*, quod est pro attributo vel praedicato, ex fine enuntiationis intellige *sunt*. „Iudicia quae dicantur, haud obscurum esse poterit reputanti veteres poetas scenicos saepissime forensium orationum imagines fabulis suis intexuisse. Cf. Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 363. Idque prae ceteris fecisse Menandrum constat etiam e Dione Chrysost. XVIII. p. 476. sq. ubi Menandri dramata futuro oratori quam maxime commendat. Inde est etiam

quae Epitrepontes, Epicleros, Locri habent, aut meditationes in Psophodee, Nomothete, Hypobolimaeo
71 non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum eum declamato-

Locri] Flor. Camp. al. *Locre*. „*Locroe* scribendum videtur, sicut apud Cic. in Verr. IV, 3. *Canephoroe*. Cf. praeter Conr. Schneiderі Gramm. Lat. p. 82. alterius Schneideri Saxonis annot. ad Vitruv. IV, 1, 2. et IV, 8, 1. et Oudendorp. ad Lucan. III, 180." *Zumpt*. Non aliter statuerat Frotscher. et sic cum Zumptio scripsit Herzog. Sed frequens admodum literarum I et E confusio. — *oratoriis*] Tur. Flor. Guelf. Camp. Goth. Ien. cum Voss. 1. 2. et edd. ante Bad. *oratoris*, quod natum puto ex contracta ablativi forma *oratoris*. Eadem scripturae discrepantia deprehenditur ap. Cic. Orat. 3, 11. Brut. 89, 305. Similiter infr. §. 79. plerique codd. *auditoris* — *iudicis*. Cf. ad §. 91.

quod τὸ πραχτιχόν in nostro poeta laudat Dionys. Hal. Vett. Scr. Cens. V. p. 424. Rsk." Ita Meinekius l. c. p. 61. Verba Dionysii sunt: *Μενάνδρου δὲ χαὶ τὸ πραχτιχὸν θεωρητέον.*

meditationes] sunt μελέται, orationes de re non iudiciali. *Sp.* In comoediis nempe, quae laudantur, caussae in scenam videntur productae, vel quasi agerentur in foro vel quasi aliquis ad eas se compararet ac meditaretur. *Gesner*. Tales forensium actionum meditationes proprie pertinebant ad scholas rhetorum, a quibus *declamationes* dicebantur. Cf. infr. 5, 14. Herzogius *meditationes* convertit *Monologe*, nescio quam recte. — Fabularum quae hic recensentur titulos, argumenta fragmentaque invenies apud Meinekium pag. 60. sqq. p. 107. p. 124. p. 165. sqq. p. 183. sq.

numeris] i. e. *partibus*. Sic §. 91. „Quid — omnibus denique *numeris* praestantius." Additur interdum *partibus*, velut apud Cic. N. D. II, 13. „perfectum expletumque *omnibus suis numeris et partibus*." Singularis quoque in hac formula usitatus. Cf. Cic. N. D. II, 18. „poema elegans *omni numero*."

71. *plus adhuc quiddam*] *fast mehr noch. adhuc*, ἔτι, ad recentiorum fere linguarum modum aliquot argenteae aetatis scriptores inde a Quintiliano, quanquam non omnes, cum comparativo ita componere solebant, ut ad ampliora et maiora ascendentes vim eius augerent. Veteres Latini dicebant *etiam*. Quemadmodum autem *etiam*, quando comparativo praemittitur, *sogar noch*, quando postponitur, simpliciter *noch* significat (v. Grotef. Gr. §. 350. n. 3. et inprimis Hand. Tursell. II. p. 563. sq.), sic *adhuc*, si comparativi vis et copia augenda est, necessario ei praecedit, sin vero post eum ponitur, accessio exprimitur atque res praeter alias esse maior dicitur. Sic recte de ordine verborum praecepit Hand. Turs. I. p. 165. sq. Cf. infra §. 99. „*plus adhuc*." i. e. *insuper et adeo plus*. I, 5, 22. „*adhuc difficilior*." II, 4, 13. „*adhuc melius*." II, 10, 5. „*magis adhuc*." II, 15, 28. „*adhuc concitatior*." — *plus quiddam*, ut πλέον τι, ita dictum, ut *plus* addito indefinito pronomine quasi mitigetur ac minuatur. Sic idem fere quod nostrum *fast mehr*.

declamatoribus] Enimvero praecipue declamatoribus considerandum

toribus puto, quoniam his necesse est secundum condicionem controversiarum plures subire personas, patrum, filiorum, militum, rusticorum, divitum, pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum. In quibus omnibus mire custoditur ab hoc poeta decor. Atque ille quidem omnibus eiusdem 72
operis auctoribus abstulit nomen et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quoque Comici, si cum venia leguntur, quaedam quae possis decerpere: et praecipue *Philemon*, qui ut pravis sui temporis iudiciis Menandro saepe praelatus est, ita consensu tamen omnium meruit credi secundus.

---

§. 71. *custoditur*] „Tur. Flor. *custodietur*. Fortassis *custodiatur* scriptum fuit, ita ut haec verba *(in quibus — decor)* arctius etiam cohaererent cum praecedentibus. Quamquam facile ab librariis errari potuit." *Fr.* Mihi ne futurum quidem plane ineptum videtur (vid. ad §. 25.), quanquam vulgata multo praestat.

---

dum est, quid cuique personae conveniat, qui paucissimas controversias ita dicunt, ut advocati: plerumque filii, patres, divites, senes, asperi, lenes, avari, denique superstitiosi, timidi, derisores fiunt, ut vix comoediarum actoribus plures habitus in pronuntiando concipiendi sint quam his in dicendo. *Quint.* III, 8, 51. Cf. VI, 2, 36. XI, 1, 55.

72. *Atque ille quidem*] „*Und so* hat er *allerdings*". *Herzog.* Equidem malim: *Doch jener freilich.* Similis locus est §. 51. „*Verum* hic omnes sine dubio — procul a se reliquit."

cum venia] *excusando, si quid minus probabile occurrat. Gesner.* Thes. Lat. Satisfecit haec interpretatio Buttmanno. „Nam, inquit, venia utique et indulgentia opus est, si quis ceteros comicos, a Menandro obscuratos, legere animum inducat. Qui igitur a vitiis illorum non absterretur, is inveniet, quae excerpere etiam volet." Bene Frotscher. comparavit Ovid. Trist. IV, 2, 104. „*Cum venia* facito, quisquis es, ista *legas*"; et ibid. III, 14, 51 sq. Immerito Spald. Gesneri rationem improbabat.

pravis — iudiciis — praelatus] Nam quidam, sicut Menander, iustiora posterorum quam suae aetatis iudicia sunt consecuti. *Quint.* III, 7, 18. Cf. Meineck. l. c. p. XXXI.

meruit credi] i. e. *impetravit, ut credatur.* Primaria *merendi* significatio plerumque plane delitescit, quanquam Frotsch. interpretatur *merito creditur.* Cf. §§. 94. et 116. Spald. ad IV, 2, 39. Interprr. ad Plin. Ep. I, 8, 14. Dronk. ad Tacit. Dial. 9, 9. pag. 102. Similiter sequente *ut* Plin. Ep. III, 11, 7. „quibus (virtutibus) *meruit*, *ut* a C. Musonio — gener adsumeretur."

73 *Historiam* multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat longe duos ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. Densus et brevis et semper instans sibi *Thucydides:* dulcis et candidus et fusus *Herodotus;* ille concitatis, hic

---

73. *scripsere*] Cic. Orat. 47, 157. „Nec vero reprehenderim
— — — scripsere alii rem;
scripserunt esse verius sentio: sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor." Sed tamen Ciceroni ubique plenior forma ex codicibus videtur reddenda. Quintilianus utraque forma promiscue utitur. Sic §. 66. *permisere.* §. 67. *illustraverunt.* §. 70. *viderunt.* §. 84. *indidere.*

nemo dubitat — praeferendos] §. 81. „quis dubitet Platonem esse praecipuum." 4, 2. „nec dubium est optimum esse emendandi genus." Contra 2, 1. „neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione." Sed apud optimos scriptores utriusque structurae exempla inveniuntur, nisi quod Cicero post *non dubito* ubique *quin*, Nepos autem accusativo c. inf. uti maluit. Legitur tamen apud hunc Hannib. II, 6. „ut nemini dubium esse debeat, *quin* — sim futurus." Cuius loci non fuit memor Zumpt. Gr. §. 541. Cf. Grotef. §. 544., qui structurae acc. c. inf. hoc ponit exemplum e Cic. Attic. 7, 1. „Pompeius non dubitat (vere enim iudicat), ea quae de republica nunc sentiat, mihi valde probari." At Zumptius cum Bremio ad Nepot. praefat. sic scribendum censet: „Pompeius non dubitat." Vere enim iudicat" etc.

Densus et brevis — Thuc.] Cic. de Orat. II, 13. „Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur." Cf. ibid. §. 22. et Brut. c. 7. Adde Lucian. de conscr. hist. §. 57. Dionys. Hal. pp. 775. 792. 869. Marcellin. §§. 50. 53. 56. Quibus in rebus insit illa Thucydidis breviloquentia, docere studuit Poppo in sua Thuc. edit. Vol. I. P. 1. pag. 281. sqq.

dulcis — Herodotus] Cum veteribus *dulcis* aliquis scriptor dicitur, sensus certus ex Graecorum consuetudine petendus est, qui γλυκύτητα et ἡδονήν tribuerunt iis qui cum elocutionis naturali quadam gratia, venustate et candore rerum etiam suavitatem coniunxerunt. Talem γλυκύτητα Hermogenes *id.* lib. II. p. 226. tribuit Herodoto ob varietatem narrationum mythicarum fabularumque, quibus historiam suam distinxit quibusque suaviter teneri lectores solent. Eandem dulcedinem habet etiam oratio morata, h. e. mitioribus remissioribusque affectibus declarandis serviens. Quo nomine inprimis Qu. X, 1, 73. *dulcem* Herodotum dicere videtur, contrarium Thucydidi, qui concitatis affectibus maxime utitur, unde et huic *vim*, illi *voluptatem* tribuit. *Ernest.* p. 139. sq. Idem (pag. 45.) docet, *candidum* accipiendum esse pro *aperto, dilucido, facili intellectu.* „Nempe, inquit, in candore notio lucis subest, quae deinde perspicuitati notandae servit, ut obscuritati tenebrae. Quare et Graeci in illis generibus το λευκόν et σκότος habent. Eandem metaphoram nos sequimur,

remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate. *Theopompus* his 74
proximus, ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus solicitatus, diu fuerit orator. *Philistus* quoque meretur, qui turbae quamvis bonorum post eos auctorum eximatur, imitator Thucydidis et ut multo infirmior,

---

cum dicimus *ein lichtvoller, heller, klarer* oder *dunkler Vortrag.* Sic Qu. II, 5, 19. „ego, inquit, optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum *candidissimum* quemque et *maxime expositum* velim, ut Livium a pueris magis quam Sallustium." Quo sensu et lib. X, 1, 73. *candidum* Herodotum appellat, cum in brevitate densa Thucydidis, quem illi opponit, magis obscuritas quaedam insit." Dionysius quoque σαφηνείαν tribuit Herodoto. Parum sibi constat Herzog., qui h. l. *candidus* interpretatur *treuherzig*, contra §. 113. *lichtvoll*, quemadmodum §. 101., ubi Herodoto *clarissimus candor* tribuitur, convertisse eum video „die *ungetrübteste Klarheit.*" Nullo autem modo *candidus*, ubi ad genus dicendi refertur, ad animum scriptoris sincerum et ab omni invidia ac simulatione alienum spectare potest. Cf. ad §§. 101. et 121. — *fusus* dicitur Herodotus, quatenus excellit ubertate quadam et copia, quae concisae brevitati ac densitati opponitur. Herz. interpretatur *redselig.* Cf. XI, 1, 5. „Cicero testatur esse haec Bruto nota ideoque *brevius* a se dici, quanquam sit *fusus* locus." Magis huc pertinet Tacit. dial. 39, 5., ubi *adstricto* dicendi generi opponitur *fusa* oratio. Adde infr. §. 77. et 5, 11.

concionibus] δημηγορίαις, h. e. orationibus, quas Thucydides et qui eius exemplum secuti sunt historiis interserere solebant. Cf. Cic. Orat. 9, 30. 20, 66. cl. Brut. 83, 287. Plin. Ep. I, 16. Iustin. XXXVIII, 3.

vi — voluptate] *Vis*, ῥώμη, spectat ad mentes movendas et concitandas (τὰ παθητικά), *voluptas*, ἡδονή, ad delectandas et suaviter mulcendas (τὰ ἠθικά).

74. *praedictis*] i. e. *ante, supra dictis.* Cf. IV, 2, 57. VIII, 3, 83. et Ruhnken. ad Vellei. II, 21, 1. *Frotsch.* August. addi iubet Beneck. ad Iustin. p. 485. Cf. Plin. Ep. X, 15, 2. „epistolae — quas detinere, ut *ante praedixi*, nolui."

solicitatus] Cic. de Orat. II, 13, 57. „Duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt."

meretur, qui] Eadem structura quae est adiectivi *dignus* §. 115. „dignus, cui contigisset;" et §. 131. „digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet." Cf. Zumpt. §. 568.

quamvis bonorum] Concessivae, praeter *licet*, omnes in enuntiationibus contractis locum habere possunt. Sic §. 94. „Multum et verae gloriae, *quamvis* uno libro, Persius meruit." De *quanquam* dixi ad §. 33. *etiamsi* est §. 89. *quamlibet* 2, 17. 3, 29.

imitator Thucydidis] De hoc genere appositionis vid. ad §. 80.

ita aliquatenus lucidior. *Ephorus*, ut Isocrati visum, calcaribus eget. *Clitarchi* probatur ingenium, fides
75 infamatur. Longo post intervallo temporis natus *Timagenes* hoc est vel ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. *Xenophon* non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est.
76 Sequitur *oratorum* ingens manus, ut cum decem simul Athenis aetas una tulerit. Quorum longe prin-

---

§. 74. *aliquatenus*] Suspicor fuisse *aliquanto*. *Sp.* Consentit Hand. Tursell. I, 258., qui se dubitare dicit, num *aliquatenus*, quod addatur verbis et participiis, cum adiectivis simpliciter componatur. In Codd. nullum corruptelae alicuius vestigium. — §. 75. *hoc est vel ipso*] Ita Spald. ex auctoritate Turicensis, qui exhibet *hoc e vel*. In Camp. apparet *hoc vel*. Reliqui *vel hoc* aut *vel hoc est*. Fortasse *est* delendum, quia, ut ait Herzogius, in eiusmodi censu habendo non adeo frequentat Qu. verbum substantivum.

---

calcaribus eget] Cic. de Orat. III, 9, 36. „Dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere." Cf. Brut. 56, 204. Quint. II, 8. 11.

Clitarchi — fides infamatur] Cf. Cic. Brut. 11, 42. sq. — Ne in his enuntiationibus, *probatur iudicium*, *fides infamatur*, particulam adversativam desideres, vid. Zumpt. §. 781. Grotef. §. 245. Hand. Tursell. I, 567. Cf. infra §§. 98. 104. 113. 2, 3. 28. 3, 15. 5, 4. 6. 7. 6, 1. 6. 7, 22. — De ordine inverso, quo verba opposita *iudicium* et *fides*, *probatur* et *infamatur*, se excipiunt, cf. Cic. Fin. III, 3. „*Ratio* nostra *consentit*, *pugnat oratio*." Plura desideranti dabit Grotef. §. 362. Cf. etiam infr. ad 5, 15.

75. *hoc — vel ipso*] De *vel* v. Grotef. §. 233. Sic §. 80. „*vel* ob hoc — quod". §. 86. „*vel* ideo — quod". 2, 4. „*vel* quia". Adde 1, 17. 33. 69. 105. 119. 131. 3, 5. 6, 6. 7, 24. 25. 31.

historias scribendi] §. 73. erat „*historiam* multi scripsere." Quid intersit inter singularem et pluralem, ex his locis cognosces: 1, 31. 74. 101. 102. 5, 15. cll. 1, 34. 2, 7.

76. *ut cum — tulerit*] V, 10, 44. „*ut cum — afferat*." V, 1, 51. „*ut cum — sit* res eruenda." VI, 3, 9. „*ut cum* odium — *frangat*." IX, 1, 3. „*ut cum* ironia — inter tropos reperiatur." Non aliter *ut* pronomini relativo praefixum vidimus supra §. 55. ubi v. ann. Apud Ciceronem eiusque aequales in usu erat *quippe quum*, *quippe qui*, *utpote quum*, *utpote qui*. Cf. Zumpt. §. 565. Grysar. p. 578. sqq. — *tulerit* idem est, quod *progenuerit*. Cic. Brut. 12, 45. „Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum *tulit*." Plin. Ep. V, 15, 4. „quos aetas nostra — *tulit*." Cf. infr. §. 123.

ceps *Demosthenes* ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias. Ple- 77
nior *Aeschines* et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, minus

---

tanta vis in eo] Ut Graeci rhetores, inprimis Hermogenes, δεινότητα illam propriam Demosthenis virtutem laudarunt, ita eidem oratori *vim* proprio quodam nomine tribuunt Latini, ut est apud Cic. de Orat. III, 7. et Orat. 7, 23., qui locus inprimis huc pertinet. *Ernest.* p. 420. Cf. §. 108. Similiter Caesari *vis* tribuitur 1, 114. et 2, 25. Vid. etiam ad 2, 12.

quibusdam nervis] Eadem comparandi forma §. 82. „*quandam* — deam." §. 81. „*quodam* Delphico — oraculo." *Sp.* Cf. 3, 10. 15. et supra ad §. 5. At Genslerus coniiciebat *quaeque* pro *quibusdam*, quod ut non probo, ita desidero tamen in hoc membro subiectum: nam neque *omnia* satis commode ex antecedentibus repetitur neque parum ponderis de sententia detrahitur hoc subiecti defectu. Cf. similes locos §§. 69. 114. 121.

tam nihil otiosum] Cic. Brut. 60, 217. „Memoria autem *ita* fuit *nulla*, ut — quaereret." Ad quem locum Ellendt. haec annotavit: „Sic componuntur adverbia gradationis tum demonstrativa (*ita*, *tam*) tum relativa (*quam*) cum negativis tum particulis tum nominibus." Vid. Divv. VII, 1. „*Ita non* amare", h. e. parum. Quint. X, 1, 76. Et (cui simile Graeci habent) Fin. V, 27, 80. „*Quam nihil* curo!" ὡς οὐδὲν μέλει μοι, quod tamen non geminum, cum Graecum sit nonnisi exclamandi, Latinum vero cum ascensione coniunctum. Vell. II, 62. „*adeo nulla* mentio." Cic. p. Red. in Sen. 8, 21. „*quam non* varius." Id. Tusc. IV, 35, 47. „*quam nihil* sit omnino." Liv. IV, 24, 6. „*quam non* placeant imperia." Quint. II, 20, 7. „*adeo nihil* dubitabitur." Cf. Spald. ad h. l. Infra c. 64, 228. „*quam* hoc scriptionis genus *nondum* sit Latinis literis illustratum." " Cf. Otto ad Cic. Finn. p. 62. sqq.

77. *Plenior*] *Plena* oratio, metaphora ducta ab iis rebus vel corporibus, quae vel succo vel carne vel alius massae ambitu abundant, dicitur ea, in qua est quaedam ex ubertate rerum vel copia et ornatu elocutionis grata rotunditas. *Ernest.* p. 289. *Latior* dicitur idem Aeschines XII, 10, 23. et sic „*latum atque fusum*" est XI, 3, 50.

grandiori similis] Antecedens *magis* etiam ad v. *similis* pertinet, *grandiori* autem neutrius generis videtur, ut significet *grandius genus dicendi*. Neque aliter Herzog. locum cepit, quum converterit: „*dem Pathetischen ähnlicher.*"

carnis — lacertorum] *Lacerti* cum oratori tribuuntur, vis quaedam in dicendo notatur, cui tenuitas et subtilitas contraria est. Cic. Brut. 16, 64. Quid in lacertis cogitaverint rhetores, etiam eo patet, quod *carnem* lacertis opposuerunt, illa speciem quandam granditatis et virium, his autem vires veras et solidas notantes, magis nervorum robore, quod et in gracilitate locum habet, quam succorum abundantia contentas, quae saepe et in imbecillis esse solet. *Ernest.*

lacertorum. Dulcis in primis et acutus *Hyperides*, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis
78 par. His aetate *Lysias* maior subtilis atque elegans et quo nihil, si oratori satis est docere, quaeras per-

---

§. 78. *satis est*] Ita Tur. et Camp. Reliqui *sit*. Vide annot.

---

p. 234. sq. Cum *lacertis* eorumque expressa firmitate comparatur haud semel et eleganter *virilis* orationis habitus, non effeminatus. *Lacertosi* enim esse debent viri, torosiores magisque carnosae mulieres. *Wolff.* Cf. ad §. 33.

Dulcis — acutus] *Dulcis* vocatur Hyperides, quia genus dicendi mediocre, temperatum, remissum sequebatur, cui praecipue venustatem et suavitatem propriam esse, luculenter docet Cic. Orat. c. 27. sq. Cf. ad §. 78. — *acutus* spectat oratoris ingenium ac prudentiam. Ubique autem *acumen* in rebus, non in verbis cernitur. Cic. Brut. 27, 104. „Nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes, *nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas*". 28, 108. „P. Scaevola valde *prudenter* et *acute*, paulo etiam copiosius (loquebatur)." 55, 102. „*Inveniebat* igitur *acute* Cotta, *dicebat* pure ac solute." 62, 221. „*Acutior* Q. Varius *rebus inveniendis*, nec minus *verbis expeditus*." *Acutis* oratoribus opponi solent *tardi in cogitando* s. *excogitando*, ac simili metaphora Quint. VIII, 3, 49. *hebetem* orationem opponit *acutae*. De Hyperidis *acumine* cf. Cic. de Orat. III, 7, 28., quem locum admotum vides sectioni sequenti.

ut non dixerim] Praeteriti temporis exempla dedimus ad §. 6.

78. *His — elegans*] Sustuli comma post *maior*. Cf. initia §§. 74. 75. Cum Quintiliani de Lysia iudicio comparabis Cic. Brut. 9, 35. „Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed *egregie subtilis scriptor atque elegans*, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere." et de Orat. III, 7, 28. „Suavitatem Isocrates, *subtilitatem Lysias*, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit." — *Subtilis* est qui rem acute et prudenter videt. Itaque veteres in *subtilitate* eas maxime virtutes cogitabant, quae ad *probandi docendique* artificium necessariae essent. Vid. Ernest. p. 383. — *Elegans* dicendi genus est, in quo cura et acumen cernatur. Cic. Brut. 23, 89. „Ex hac Rutiliana narratione suspicari licet, cum duae summae sint in oratore laudes, una *subtiliter disputandi ad docendum*, altera *graviter agendi ad animos* audientium *permovendos* —, *elegantiam* in Laelio, *vim* in Galba fuisse." Ex quo loco intelligitur, elegantiae esse ut quis subtiliter, accurate, diligenter et ad docendum accommodate dicat: quae omnia ad genus dicendi tenue, acutum et subtile pertinent. Vid. Ernest. p. 143. sqq. Cf. infr. 1, 114. et 2, 19.

si — est] Propter IV, 5, 6. „non enim solum oratoris est docere, sed plus eloquentia circa movendum valet." (cf. Cic. Orat. 20, 69. 27, 97. sq., infra ad §. 110.) Spald. e coniectura dedit *esset*. Sed ita nunc loquitur Qu., ut ponat *satis esse*, nihil curans sententiae veritatem. Sic recte Frotsch. defendit indicativum, comparato Graeco ει

fectius. Nihil enim est inane, nihil arcessitum: puro tamen fonti quam magno flumini propior. *Isocrates* in diverso genere dicendi nitidus et comptus et palaestrae quam pugnae magis accommodatus, omnes dicendi Veneres sectatus est; nec immerito: auditoriis 79

---

c. indicativo praesentis, cuius usus exempla adscripsimus Xenoph. Commentariis de Socrate II, 2, 7. 5, 4. IV, 2, 31. Herzogius, ut in incerto relinqueretur Fabii iudicium, restituit vulgatam *sit*, ut hic sensus exsisteret: *si quis dicendi artis studiosus satis esse censeat docere.* Pro nostra scriptura, quam Zumptius quoque amplexus est, afferri quodammodo potest locus Ciceronis in Brut. 80, 276. „*Quod si est optimum* suaviter dicere, nihil est quod melius hoc quaerendum putes. *Sed cum a nobis paulo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet*" et quae sequuntur.

nihil enim est] Non probarem, si quis tertio loco particulam vellet collocari, quum mea quidem sententia in talibus accurate examinari singulorum vis verborum debeat. *Frotsch.* Secundum Handium Tursell. II. p. 400. discrimen proficiscitur ex natura verbi *esse*, quod quum non plenam significationem praestet, cum nomine coniungatur in unam notionem et encliticorum more comprehendatur uno accentu: sed ubi significet *vere esse*, *exstare*, attrahere particulam. Neque aliter vir doctissimus de ceteris statuit formis, quas enumeravimus supra ad §. 14. Ita particula, quae post secundum aut tertium vocabulum unius quidem notionis ponitur, non excedit regulam: ubi enim verbum *esse* aut cum adiectivo aut cum alio verbo in unam notionem coit, tertius locus et quartus pro secundo numerantur. Vid. Tursell. I. p. 578. et infra ad §. 115.

nihil arcessitum] IX, 3, 74. „Nam per se *frigida et inanis affectatio*, quum in acres incidit sensus, *innata* videtur, non *arcessita.*" Praecedens *inane* intellige *vacuum*, quod *plus verborum quam sensus* habeat.

79. *nitidus*] Oratio *nitida* s. *nitens* opponi solet *horridae* et *incultae*. Cf. Cic. Brut. 67, 238. de Orat. III, 14, 51. Orat. 11, 36. de Legg. I, 2. Adde quae annotavimus supra ad §§. 9. 38.

palaestrae] Cic. de Orat. I, 18, 81. „*Nitidum* quoddam genus est verborum et *lactum*, sed *palaestrae* magis et *olei* quam huius *civilis turbae ac fori.*" Brut. 9, 37. „Phalereus — eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam *armis* institutus quam *palaestra.*" ibid. 8, 32. Isocrates dicitur magnus orator et perfectus magister, quanquam *forensi luce* caruerit. Vocabulorum athleticorum ad dictionem forensem traductorum exempla dedimus supra ad §. 4. Cf. infr. ad §. 120.

Veneres] ἀφροδίτην, χάριτας, *venustatem, gratiam, suavitatem.* Cf. IV, 2, 116. „narrationem — omni qua potest *gratia* et *venere* exornandam puto." VI, 3, 18. „*venustum* esse quod cum *gratia* quadam et *venere* dicatur, apparet." Describitur autem h. l. genus illud ἐπιδεικτικόν, „proprium sophistarum, pompae quam pugnae aptius, gymnasiis et palaestrae dicatum, spretum et pulsum foro", quae sunt verba Ciceronis Orat. 13, 42. Cf. ibid. 12, 38. „In Panathenaico au-

enim se, non iudiciis compararat: in inventione facilis, honesti studiosus: in compositione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. Neque ego in his, de quibus locutus sum, has solas virtutes, sed has praecipuas puto: nec ceteros parum fuisse magnos. Quin etiam *Phalerea* illum *Demetrium*, quanquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii

§. 80. *primus*] Hic quoque Herz. e Tur. et Flor. dedit *primum*. Cf. §. 66. *Primus* elegantius esse, sed et altera dictione usos esse Latinos, annotavit Dronkius ad Tacit. Dialog. 25, 1.

tem Isocrates ea (sc. quae ad genus ἐπιδεικτικόν pertinent) se studiose consectatum fatetur: non enim ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat."

auditoriis — compararat] Nam infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur, ut ait Plin. Epp. VI, 29, 6. Adde Cic. de Orat. II, 3, 10. ubi v. Mueller. *Frotsch.* Ipse Isocrates Panath. §. 10. p. 261. Bekk.: *Οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην, φωνῆς ἱκανῆς καὶ τόλμης, ὡς οὐχ οἷόν τ' εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν.* Cf. Cic. de rep. III, 30.

facilis] i. e. *expeditus, promptus, non tardus, gewandt.* Sic §. 128. Senecae *facile ingenium* tribuitur.

compositione] i. e. *collocatione ac conformatione verborum.* Cernitur enim *compositio* in *oratione vincta, connexa, bene collocata.* Cicero Brut. 8, 32. docet, Isocratem primum intellexisse, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structuram et quandam ad numerum conclusionem nullam fuisse, aut si quando fuerit, non apparuisse, eam dedita opera esse quaesitam. Eodem teste Cicerone Orat. 56, 190. Hieronymus in Isocratem inquisivit et triginta ferme versus, iambicos plerosque, malitiose eligendo, cum detraheret verborum principia vel adderet, invenit.

80. *his — has — has*] Notanda eiusdem vocis intra exiguum spatium repetitio. Similiter 2, 16. „*Hoc* autem *his* accidit." 7, 31. „In *hoc* genere prorsus recipio *hanc* brevem annotationem." Cic. Brut. 21, 82. „Sed inter *hos*, aetate paulum *his* antecedens." ib. 72, 252. „de *hoc huius* generis acerrimo existimatore."

Phalerea illum Demetrium] Persaepe patria hominis nomini praemittitur. Cf. §. 86. „ab Afro Domitio." §. 87. „Atacinus Varro." Cic. Brut. 82, 285. „Phalereus ille Demetrius." Orat. 12, 39. „Leontinum ferunt Gorgiam", ubi Lambinus hunc usum ignorans scripsit „Gorgiam Leontinum ferunt." Sic „Ponticus Heraclides" et id genus alia. Omisso nomine hominis Cic. Orat. 26, 94. „Haec frequentat *Phalereus* maxime suntque dulcissima", et Brut. 9, 37. „*Phalereus* enim successit eis senibus adolescens."

inclinasse] i. e. *inflexisse orationem et eam mollem reddidisse*, quae sunt verba Ciceronis Brut. 9, 38. Cf. Ernest. p. 211. „Rhe-

habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero.

Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse 81
eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet *Platonem* esse praecipuum sive acumine disserendi sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? Mul-

---

tores Latini verbis his: *inclinare*, *inflectere*, *flectere*, quibus affinis potestas est, ita semper uti solent, sive de voce humana singulatim sive de universa oratione et elocutionis forma sermo sit, ut vel mollitudinem qualemcunque vel remissionem et humilitatem, gravitati, atrocitati et concitationi contrariam, significent." Et p. 215. „Phalereus hoc maxime agebat, ut orationem, quam simplex et incomta antiquitas fecerat *rectam*, figurarum pluribus quasi flexibus distingueret, quibus suavis aliqua varietas illi conciliaretur." Cf. *frangere* §. 130.

vel ob hoc m. dignum] *er, der schon deſshalb merkwürdig ist. Herz.* Hoc appositionis genere nihil frequentius apud Fabium. Cf. §. 95. „Plurimos hic libros et doctissimos composuit, *peritissimus linguae Latinae*." §. 103. „Quam — Bassus Aufidius — praestitit, *genere ipso probabilis*, *sed — minor*." Ad eandem formam dicendi pertinere puto §. 87. „*elegantes in sua quisque materia*, *sed alter humilis*, *alter difficilis*" et §. 96. „*quibusdam interpositus*." Alia his similia dedimus ad §. 66. Cf. etiam §. 34.

quem tamen] Cf. §. 99. „*quae tamen* sunt in hoc genere elegantissima." Adde §. 128. et 7, 19.

Cicero] Orat. 27, 92. de Orat. II, 23, 95. Off. I, 1, 3. Legg. III, 6, 14. Finn. V, 19, 54.

81. *M. Tullius*] Orat. 3, 12. „Fateor me oratorem, si modo sim aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis extitisse." Cf. Quint. XII, 2, 23. Tacit. Dial. 32, 4.

Platonem] Cic. Brut. 31, 121. „Quis enim uberior in dicendo Platone? lovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui." Orat. 19, 62. „Longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, extitit et suavitate et gravitate princeps Plato." De Orat. I, 11, 47. „longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo, Platoni." ibid. III, 4, 15. „Neque enim quisquam nostrum, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quanquam illa scripta sunt divinitus, tamen" etc. Plin. Ep. I, 10, 5. „Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit."

divina] i. e. *eximia*, *excellenti*, *humanas vires excedente et quasi deo digna*. Sic §. 83. „loquendi nitor ille *divinus*." Cic. de Orat. I, 10, 39. „Galbam — *divinum* hominem in dicendo." Ib. I, 11, 49. „Plato — *divinitus* est locutus." Plane sic *coelestis* et *immortalis* §§. 86. 102. 109. 2, 18.

tum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. 82 Quid ego commemorem *Xenophontis* illam iucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur et quod de *Pericle* veteris comoediae testimonium est

---

§. 81. *oraculo instinctus*] Ex Leid. A. Geelius in biblioth. crit. Vol. III. p. 278. scribendum esse dicit *oraculo dei instinctus.* Idem est in Camp. et *dei* etiam in Tur. a sec. m.; in Flor. *de.* Sed comp. XII, 11, 5. *velut ex oraculo petent.* Nostro loco etiam propter *Delphico* minus placebit *dei.* *Gernh.* Recepit tamen Herzog.

---

et quam pedestrem] Parum placet coniunctio *et*, cuius nullam hic idoneam vim agnosco. *Spald.* At saepissime duo verba per *et* sic connectuntur, ut posterius tantummodo explanet et illustret illud, quod antecedit. Sic h. l. coniunctio *et* indicat, *pedestrem* orationem (πεζὸν λόγον) non intelligi *prosam*, quae versibus opponitur, sed orationem *humilem*, *vulgarem*, *submissam*, quae contraria est magnificae ac sublimi. Verum iam vidit Frotscher. Cf. Hand. Turs. II, 478. sq.

Delphico — oraculo] *Oraculum* hic non esse vaticinium, sed vim quandam ἐνθουσιάζουσαν, qualem vaticinanti Pythiae veteres tribuerint, docuit Herzog. Vers. p. 115. Ceterum, ut ait Burmannus, haec loquendi formula frequens, ut excellentes dictiones, graves sententiae, verissime dicta et similia non ab hominibus, sed ab oraculo Delphico aut alio profecta videantur. Ita Cic. Legg. I, 22. „cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur." Epist. ad Brut. I, 2. „Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. Nihil potest esse verius." Ovid. Art. II, 541. „Haec tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas dicere." Terent. Andr. IV, 2, 15. „Non Apollinis magis verum atque hoc responsum est." Ex communi ergo loquendi consuetudine hoc desumtum.

82. *Xenoph. illam iucunditatem*] Tacit. Dial. 31, 6. „Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, *Xenophon iucunditatem.*" Dicitur haec iucunditas *inaffectata* ut remota ab aperto et nimio artis studio. Cf. Ernest. p. 13.

sermonem finx. Gratiae] Cic. Orat. 19, 62. „Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt." Cf. supra §. 33. Similis sententia est de Plauto infr. §. 99.

de Pericle — testimonium] Plin. Ep. I, 20, 17. „Scripserat autem *Eupolis*, poeta comicus, in *Δήμοις* fabula de Pericle: *Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.*" Quem versum cum aliis nonnullis servavit Scholiastes Aristoph. Acharn. v. 529. (535.) Cf. Cic. Brut. 15, 59. et de Orat. III, 34, 138.

in hunc transferri iustissime possit, in labris eius sedisse quandam persuadendi deam. Quid reliquorum 83
Socraticorum elegantiam? Quid *Aristotelem*? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Nam in *Theophrasto* tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen

---

§. 83. *eloquendi suavitate*] Quod e codd. interposuit Herzogius *usus*, ut constans quaedam eloquendi ratio significaretur, id vereor ne ex ipsa voce *suavitate* originem traxerit.

---

83. *Socraticorum elegantiam*] *Elegantia* refertur ad orationis cultum et ornatum. Nam Socratici philosophiam ornarunt et illustrarunt, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxerunt. *Ernest.* p. 145.

an — an — an — an] Bimembris omnis est interrogatio, in qua *an* alteram rem alteri opponat idque significet, quod extra dubitationem indicat *aut*. Quare etiam in interrogatione praecedunt *utrum*, *utrumne*, *ne*, vel omittitur in prima parte particula. Responsione ex propositis rebus alterautra constituitur: utraque ei qui quaerit pariter incerta videbatur. In his *an* pluries poni potest ob multiplicem disiunctionem. *Hand.* Turs. I. p. 337. Cf. Grotef. §. 247. Ceterum quomodo factum sit, ut Aristoteles, quum primo disputationes suas a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutaverit repente totam formam disciplinae suae et rerum scientiam cum orationis exercitatione coniunxerit, exposuit Cicero de Orat. III, 35, 141.

Nam in Th.] Hic quoque *nam* servit transeundo ad aliquid, quod etiam manifestius sit praecedenti. Cf. §. 50.

tam est loquendi nitor] Facilius aliquanto fuerit, si pro *tam est* scribatur *tantus est*. *Sp.* Nihil mutandum. Cic. Brut. 15, 58. „Et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit: *quae* nunc quidem *non tam est* in plerisque." — Utrumne *eloquendi* an *loquendi nitor* scriptum sit a Fabio, ambigunt critici. Ac Spaldingius quidem cum variandi causa, tum quia magis sermone familiari quam scriptis meruisse hoc nomen videatur Theophrastus, *loquendi* quam *eloquendi* maluisse Quintilianum suspicatur. Cui respondit Herzogius, si causa in sermone familiari quaerenda esset, Quintilianum non *est*, sed *erat* dicturum fuisse: maluisse autem *loquendi*, ut Graecorum φράζειν exprimeret. At ipse Qu. VIII, 1, 1. „Igitur quam Graeci φράσιν vocant, Latine dicimus *elocutionem*". Non rectius Herzog. comparavit Cic. Brut. 74, 259. „Catulus erat ille quidem minime indoctus, sed tamen suavitas vocis et lenis appellatio literarum *bene loquendi* famam confecerat." Quid enim *loquendi nitori*, qui in eo ponitur, ut verba non sint sordida et vulgaria et de trivio sumta, commune est cum *suavitate vocis*, qua *bene loquendi* fama acquiritur? Bene tamen habet *loquendi*, ut vel unus docet locus Ciceronis in Orat. 19, 61. sq-

84 quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiae *Stoici* veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque quod instituerant plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis quam, id quod sane non affectaverunt, oratione magnifici.

85 Idem nobis per *Romanos* quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos *Virgilius* auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum, Graecorum nostro-

---

§. 84. *quod instituerant*] Al. *quae instituerant.* — *affectaverunt*] Al. *affectant*, al. *affectarunt*. In Tur. et Flor. *adfecti tacuerunt*, in quo nostrum latere videtur.

„Ceterarum enim rerum, quae sunt in *oratore*, partem aliquam sibi quisque vindicat: *dicendi* autem, id est *eloquendi* maxima vis *huic soli* conceditur. Quanquam enim et *philosophi* quidam *ornate locuti* sunt, si quidem et *Theophrastus divinitate loquendi* nomen invenit" et quae sequuntur. De re ipsa cf. Diog. Laërt. V, 38. *Τοῦτον, Τύρταμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασεν.*

84. *Minus — Stoici*] Stoici quum sua essent sapientia contenti, ceterarum disciplinarum cultum negligebant ac contemnebant. Itaque Cic. Brut. 31, 118. eos dicit in disserendo prudentissimos ac paene architectos verborum, sed qui traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur. Cf. Tacit. Dial. 31, 6.

colligendo] Saepe apud Qu. de opere ratiocinationis, ut V, 9, 10. VII, 3, 18. XII, 2, 10. Stoicorum in dialecticis omnem curam consumi, dicit Cic. Brut. 31, 119.

id quod] Nep. Alc. 6, 2. „Tamen illum unum omnes prosequebantur et, *id quod* nunquam antea usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque donabatur." Timol. 1, 2. „Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est et, *id quod* difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam quam adversam fortunam." Cic. Catil. II, 8. „Quod si maturius facere voluissent neque, *id quod* stultissimum est, certare cum usuris." Cf. Zumpt. §. 371. Grotef. §. 514. Herzog. ad Caes. B. G. IV, 29. Goerenz. ad Cic. Legg. I, 19, 52.

85. *per Romanos — auctores*] *Romanus* Quintiliano saepe idem est quod *Latinus*. Sic §. 100. „sermo *Romanus*." §. 123. „literae *Romanae*." Contra §. 95. „peritissimus linguae *Latinae*." §. 107. „diversa *Latini* sermonis ratio." Adde §§. 96. 105. 5, 2. 4. 5. Cicero et omnino accurate loquentes utriusque vocis discrimen religiose servant. Cf. *Grauert.* hist. und philol. Analekten p. 116.

auspicatissimum] i. e. *faustissimum*. Frotsch. comparavit Tac. Germ. c. 11. „agendis rebus hoc *auspicatissimum initium* credunt."

rumque, haud dubie proximus. Utor enim verbis 86
iisdem, quae ex Afro Domitio iuvenis excepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, *Secundus*, inquit, *est Virgilius, propior tamen primo quam tertio.* Et hercule ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: et quantum eminentibus vincimur, for-

---

§. 86. *ex Afro*] Praepositionem a pr. m. omittunt Tur. Fl. Itaque Herz. revocavit *ab*, quod excidere potuerit propter sequens *Afro*. — *hercule*] Sic optt. codd. et hic et infr. 2, 8. pro *hercle*, quam breviorem formam restituit Aug., quod altera forma locum non habeat nisi ubi deus ipse invocetur. Hoc scilicet praecepit Lindemann. ad Plaut. Capt. prol. 11. — *quantum emin.*] Al. *quanto* vel *quanto plus eminentioribus*. Cf. §. 94.

---

86. *excepi*] *audivi*. Vid. Brem. ad Sueton. Tib. c. 21.

Homero — accedere] Cic. Brut. 47, 173. „Crasso et Antonio L. Philippus proximus *accedebat*." Cf. supr. §. 68. Alias dicitur *accedere ad aliquid*, ut Cic. Orat. 58, 198. „quod *ad numeros* proxime *accedit*.

primo] Hoc dicit Domitius Afer: *Homero, qui primus est, maxime accedit Virgilius: is enim secundus est post illum, sed ita secundus, ut ei paene par sit: quippe cui sit propior quam ei, qui tertium habet locum.* Hanc esse sententiam, vel ex antecedentibus illis „Virgilius — haud dubie *proximus*" intelligitur. Minus recte, opinor, Wolffius et Frotscherus *primo* referunt ad eum, qui post Homerum pro primo haberi possit. Simile fere acumen quaerentem vidimus ipsum Quintilianum §. 53. Cf. Nep. Pelop. 4, 3. „Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen *secunda* ita, ut *proxima* esset Epaminondae." Quo utroque loco plus est *proximum esse* quam *secundum*, quod non est mirum, siquidem qui proximus est, is admodum prope accedit, ut paene par sit; secundus non item. Quanquam eiusmodi distinctiones plerumque ex arbitrio scriptoris pendent. Cf. Horat. Od. I, 12, 20. Plin. Ep. VII, 20, 4. Cic. Brut. 47, 173.

ut — cesserimus] Cave coniunctivum repetas ab *ut*; est indefinite positus pro eo: *cedendum est*. Usus autem satis frequens Latinorum in comparandis suis et Graecorum aliorumve virtutibus, gentem suam suosque cives prima pluralis numeri persona designandi. Cf. §§. 93. 99. 107. Ita Tacitus Ann. I, 50. II, 3. bis. Agitur ipsorum qui scribunt res, cum decertat Romanus cum alius populi cive. *Sp.* In verbis *illi naturae — immortali* adumbratio est Homeri summo ingenio ac prorsus divino excellentis. Cf. §. 113. Similiter dicuntur *ingenia* §§. 96. 119. 122. Plin. Ep. VII, 20, 4. Cf. Schulz. ad Tacit. Dial. 2, 1.

87 tasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes longe sequentur. Nam *Macer* et *Lucretius* legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiae faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis. *Atacinus Varro* in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem di-
88 cendi parum locuples. *Ennium* sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alii atque ad hoc, de quo loquimur, magis utiles. Lascivus quidem in herois quoque *Ovidius*

---

§. 87. *sequentur*] Par. 1. Camp. Obr. *sequuntur*, quod Zumpt. probavit, recepit Herzog. — §. 88. *herois*] Hoc Sarp. eruit ex scriptura Tur. et Flor. *erois*. Alm. *ereis*. Al. *heroicis*. Cf. IX, 4, 88. 89.

---

aequalitate] interpretatur Gesnerus *aequabilitate*. Cf. §. 54. Spald. ad III, 8, 60. Ernest. p. 13. Virgilium nunquam infra se descendere, quod Homero tacite quidem hic imputetur, annotavit Spald.

87. *longe sequentur*] i. e. *longo intervallo seq.* Contrarium est *longe praecedere* §. 96. Cf. 7, 10.

alter humilis] Macer, quod in carmine de herbis scripto nimis proprie dicit. *Wolff.*

alter difficilis] Cf. I, 4, 4. „Nec ignara philosophiae (grammatice potest esse perfecta), cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quaestionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt." Testimonia de Lucretio petere licet ex Cic. ad Q. Frat. II, 11. Nep. Attic. c. 12. Ovid. Amor. I, 15, 23. Trist. II, 425. Vitruv. de archit. IX, 3. Vellei. II, 36. Tacit. Dial. 23. Stat. Sylv. II, 7, 76. Gell. N. A. I, 21.

per quae nom. est ass.] Graece *δι' ὧν ὄνομα πεποιηκεν*, *quibus famam confecit*, interprete Herzogio, quem vid. ad Vers. p. 116. Sic *ὄνομα ἔχειν* = *celebrari*. Cf. §§. 72. 120. 5, 18.

operis alieni] Intelliguntur libri IV Argonauticorum, ex Apollonio Rhodio expressi. *Fr.*

88. *Ennium — religionem*] Miranda elocutionis in Nostro proprietas et maiestas. *Sp.* Idem ad I, 8, 8. attulit versum Ovid. Trist. II, 424. „Ennius ingenio maximus, arte rudis." et Amor. I, 15, 19. „Ennius arte carens." — Ad *grandia et antiqua robora* cf. Plin. Ep. V, 7, 6. „*procera nemora et antiqua.*"

Propiores alii] sc. *huic nostrae aetati.*

in herois] Intellige metamorphoses. Quo minus *heroidas* Ovidii

et nimium amator ingenii sui: laudandus tamen partibus. *Cornelius* autem *Severus*, etiamsi versificator 89
quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindi-

---

partibus] Al. *in partibus*. — §. 89. *etiamsi*] Tur. Guelf. Voss. 3. *etiam sit*, quod Sarp. aiebat esse pro *etiamsi sit*. Sed v. Frotsch. ad h. l. et Hand. Turs. II, 570. — *exemplar*] Cum Tur. Frotsch. et Gernh. suasore Sarpio dederunt *exempla*, ut huiusmodi sententia existeret: *Si ad optimas primi libri partes bell. Sic. perscripsisset.* Al. *exemplum*. Sed cf. Plin. Ep. V, 15, 8. „*ad exemplar* antiquitatis." et Tac. Ann. XV, 23.

---

hic intelligas, prohibet earum versus elegiacus. *In herois quoque* est *adeo in herois, non tantum in elegis.* Sic Martialis III, 20, 6. „Lascivus elegis an severus herois?" Fortasse in voce *lascivus* respexerit Fabius illud Ovid. Trist. II, 427. „Sic sua lascivo cantata est saepe Catullo Femina." *Sarpius* Quaest. VII, p. 55. Quid respexerit Fabius, ab ipso disce IV, 1, 77. „Illa vero frigida et puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam et huius velut praestigiae plausum petat: ut Ovidius lascivire in Metamorphosesi solet, quem tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem." De Ovidii in elegis lascivia cf. §. 93. Adde quae annotavimus ad §. 43.

nimium amator] Notandus est usus adverbii cum substantivis verbalibus in *tor* desinentibus iuncti. Sententiae causa cf. §. 98.

laudandus t. partibus] Frequentem esse usum ablativi simpliciter positi apud illius aetatis scriptores ad significandam partem vel rem, qua quis in utramque partem insignis sit, et inveniri locos in quibus haud immerito aliquis requirat vel *in*, vel *ex*, vel *propter*, docuit Herzog. ad h. l. Spald. laudavit IX, 4, 111. „principiis merito laudatur." Cf. §. 9. cum annot. et §§. 73. 119.

89. *versificator — melior*] Haec ostendunt, in poeta quiddam multo augustius requiri a Fabio quam rationem faciendi versiculos. Cf. Horat. Serm. I, 4, 39. sqq.

ut est dictum] Nihil ego hic significari existimo nisi communem et pervulgatum inter homines istius vel superioris temporis sermonem, qui de opere Severi ita iudicaverint. Non opus igitur requirere, a quo tandem hoc dictum sit, multo minus etiam memoriam torquere, ut is in opere Quintilianeo locus inveniatur. Neque enim solet ita sua *dicta* designare. *Sp.*

perscripsisset] i. e. *totum* bellum Sic. *scripsisset*. Hanc enim vim habet *per* praepositio, ut totum opponatur partibus. Vid. Hess. ad Tacit. Germ. 11, 1. Non aliter sentit Gernhardus. At Herzogius, ut in sequentibus tueretur coniecturam „*Verum eum* consummari mors immatura non passa est", *perscripsisset* interpretatus est: *scribendo absolvere potuisset.*

caret sibi iure secundum locum. *Serranum* consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen eius opera et maximam indolem ostendunt et admirabilem, praecipue in aetate illa, recti generis voluntatem. Multum in *Valerio Flacco* nuper amisimus. Vehemens et poeticum ingenium *Saleii Bassi* fuit, nec ipsum senectute maturum. *Rabirius* ac *Pedo* non indigni cognitione, si vacet. *Lucanus* ardens et concitatus et sententiis clarissimus et, ut dicam quod sentio,

---

Serranum] Hanc Sarpii coniecturam admiserunt Frotsch., Gernh., Aug. Vulg. *Sed eum.* Herzog. *Verum eum.* Codd. *ferrenum, Uarrenum, farrenum, Terrenum*, unde fuerunt qui exararent *Varenum.* Vid. ann. — §. 90. *Saleii*] Al. *Salei.* — *maturum*] Al. *maturuit.* Geel. legit *nec ipsa in senectute evanuit*, cll. Cic. Brut. c. 94. et cap. 95. init. Tacit. Dial. c. 10.

---

secundum locum] inter epicos Latinos a Virgilio. *Sp.*

Serranum consummari etc.] Dubitari quidem iure potest, num recte *Serranum* e Sarpii coniectura reposuerit Frotscher. Hoc tamen mihi persuasum est, in varia codicum scriptura plus quiddam latere quam Spaldingii aliorumque *Sed eum* vel Herzogii *Verum eum.* Serranus inter epicos poetas una cum Saleio memoratur Iuvenali VII, 80. Cf. Baehr. in hist. lit. Rom. p. 225. Sarpii rationes, quas Zumptius dicit levissimas, invenies apud Frotsch. Excurs. I. — *consummari* idem est quod Ciceronianum *perfici.* cf. §. 122. 2, 28. 5, 14.

in illa aetate] i. e. quum esset puer s. adolescens. Cf. ad §. 9.

recti generis voluntatem] Supra §. 44. „qui *rectum dicendi genus sequi volunt.*" Sic saepe *genus* pro *genus dicendi.* Cf. §§. 44. 79. 103. 126. 131. Notanda vox *voluntas* cum genitivo obiecti coniuncta.

90. *non indigni cognitione*] Sic 2, 1. „*dignis lectione* auctoribus." At 1, 96. „*legi dignus.*" et *dignus qui* c. coniunctivo 1, 115. 131. Haec postrema constructio est Ciceroniana. Cf. ad §. 18.

si vacet] 3, 27. „Abunde, *si vacet*, lucis spatia sufficiunt."

ardens et concitatus] Ut synonyma *calor* et *concitatio* sic iunguntur XI, 3, 146. Est autem *ardens* poeta vel orator, quum orationis gravitate atque amplitudine animos inflammat permovetque. De voce *concitatus* cf. §§. 44. 48. 73. 105. 114. 118. 7, 15. et inprimis Cic. Brut. 55, 202.

sententiis clarissimus] §. 97. „*clarissimi gravitate sententiarum.*" At §. 129. „Multae in eo *claraeque sententiae.*"

ut dicam quod sentio] Ita optimi quique dicere solent, non *ut dicam quid sentiam:* quanquam hoc per se recte habet.

tio, magis oratoribus quam poetis imitandus. Hos 91
nominavimus, quia *Germanicum Augustum* ab institutis studiis deflexit cura terrarum parumque diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen his ipsis eius operibus, in quae donato imperio iuvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius? Quis enim caneret bella melius

---

imitandus] Deteriores libri *numerandus*, unde nonnulli effecerunt *annumerandus*. Sed cf. 2, 21. — §. 91. *diis*] Libri *his*. Spald. coniecit *dis*, quod recepit Frotsch. et post eum Aug. Cf. ad §. 70. — *donato*] Pauci quidam *donatus*. Zumpt. coniicit *pacato*. Herzogio probabilius videtur *damnato*, i. e. *spreto, abiecto*. Cfr. Tacit. Hist. IV. extr. — *secesserat*] e coniectura Lipsii ad Tac. Hist. IV, 86. Libri omnes *successerat*. Fuit etiam qui coniiceret *assurrexerat*.

---

oratoribus — imitandus] Si Lucanus magis oratoribus quam poetis imitandus dicitur, ab ipso Quint. magis pro oratore quam pro poeta habitus fuerit necesse est. Neque tamen sic negat Fabius Lucanum esse poetam, sed eius oratorias virtutes prae ceteris commendat. *Fr.* Cf. Schulz. ad Tacit. Dial. 20, 5.

91. *Hos nominavimus, quia*] i. e. *Hos tantum* s. *hos solos nominavimus, quia*. Sic Graeci scriptores saepe μόνον omittunt.

Germanicum Augustum] *Domitianum*, qui Germanici nomen asciverat a triumpho Germ. Affectavit poeticae studium breve per tempus: tum ad res gerendas, „*curam terrarum*", se convertit, Cattos primum adortus. Vid. Walch. Tacit. Agric. p. 391. *Aug.* Adulatur Qu., fortasse invitus, eidem Domitiano IV. prooem. §. 3.

secesserat] *Secedere* dicuntur qui meditandi vel scribendi causa hominum consuetudinem relinquunt. *Dronk.* ad Tac. Dial. 9, 10. Sic *secessus* 3, 23. 5, 16. — *donato imperio* interpretantur *abdicato imperio militari*. Cf. Tacit. Hist. IV, 86. et Sueton. Dom. c. 2.

denique] Singulis rebus expositis, ubi totam seriem uno conspectu consideramus et omnes partes ad unam rem reducimus, ibi aut id addere solemus, quod universum genus complectitur, aut unum esse instar omnium et paucis verbis omnia esse comprehendenda dicimus. Illud est *et omnino*, *und überhaupt*, hoc, *ut paucis absolvam* sive *ut uno verbo rem complectar*, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὅλως, *kurz*. Nec mutatur haec ratio, si antea non plures res, sed una tantum nominatur. Nam saepe utuntur hac formula scriptores, ubi multa dici possunt, sed oratio ad id, quod maximum et validissimum est, properat atque hoc modo contrahitur et abrumpitur. *Hand.* Turs. II. p. 270 sq. Cf. ad §. 106. et quae de formula *ut semel dicam* annotavimus ad §. 17.

caneret] sc. si studium suum in pangendis carminibus ponere vellet. Ita *caneret* est modus conditionalis. Non aliter imperfecta sunt explicanda in sqq. Cf. 2, 25. et 1, 111.

quam qui sic gerit? Quem praesidentes studiis Deae propius audirent? Cui magis suas artes aperiret fa-
92 miliare numen Minerva? Dicent haec plenius futura secula. Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus ista praestringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras, Caesar, si non tacitum hoc praeterimus et Virgiliano certe versu testamur,

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

93 *Elegia* quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor *Tibullus*. Sunt qui *Propertium* malint. *Ovidius* utroque lasci-

---

Minerva] Al. *Minervae*. — §. 92. *tacitum*] *tantum* a pr. m. Tur. Fl., idque recepit Herz. Tur. a sec. m. *totum*, quod non displicuit Spaldingio. V. ann.

Quem praesidentes — audirent?] Sententiam hanc esse puto: Si Domitianus poeticam factitaret, neminem profecto Musae (quas invocare solebant poetae) tam praesentes auxilio suo iuvarent magisque divino suo spiritu afflarent quam illum. At Gesnerus, Spaldingius, Frotscherus aliique referunt haec ad certamina musica a Domitiano instituta, de quibus v. Sueton. Dom. c. 4.

suas artes] Hoc verborum ordine opus fuit ad declarandam oppositionem, per quam Minervae artes separantur distinguunturque ab illa ope, quam Musae ferre poetis creduntur. — *Familiare* numen appellatur Minerva, quia huius se deae filium iactabat Domitianus, teste Philostrat. vit. Apoll. VII, 12.

92. *tacitum*] Malim *tacti*. Amicus quidam noster *intactum*. *Aug.* Recte habet *tacitum* passive dictum, ut in locutione *tacitum aliquid relinquere* = *silentio transire*. Virgilianus versus est Eclog. VIII, 13.

93. *Elegia quoque*] i. e. non epico solum carmine. *Sp.*

tersus] Plin. Ep. IX, 22. „Si *elegos* eius in manus sumseris, leges *opus tersum*, molle, iucundum."

Sunt qui malint] Cf. 8, 11. 4, 3. Quae grammatici afferunt indicativi in hac formula exempla, ea pleraque dubia sunt, eo magis quod credere liceat librarios pro lubitu suo mutasse coniunctivum in indicativum sibi utique magis familiarem. Vid. Orell. ad Cic. Orat. §. 156. Alia res est formularum *sunt alii*, *nonnulli* cet. *qui malunt*, *putant* cet., adiecto scil. subiecto, quanquam cfr. Matthiae ad Cic. orat. pro Sex. Rosio §. 35. „*tres sunt res — quae obstent.*"

lascivior] *Lasciviam* quodammodo propriam esse elegiae, colligas ex Tacit. Dial. 10, 5., ubi memorantur *elegorum lasciviae*.

vior, sicut durior *Gallus*. *Satira* quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus *Lucilius* quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, 94 tantum ab Horatio dissentio, qui *Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid, quod tollere possis*, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas, atque inde acer-

§. 93. *Satira*] „Al. *Satyra*. Frotsch. dedit *Satura*. Aliam fuisse scripturam Quintiliani, aliam librariorum pro certo habeo; sed praestare videbatur sequi usum recentiorum." *Herz*. Cf. Kirchner. Horat. Sat. praef. p. V.

durior] *Durities* vitium est *lasciviae* contrarium: cernitur enim in praefracta et aspera et salebrosa verborum compositione atque iunctura. Cf. IX, 4, 142.

tota nostra est] Horatio Serm. I, 10, 65. satira *Graecis intactum carmen* vocatur. Cf. Diomedes III. p. 483. ed. Putsch. „Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius." Adde Liv. VII, 2. Heindorf. ad Horat. Serm. I, 10, 47. Kirchner Praef. ad Horat. Sat. p. V.

quosdam — amatores] Notatur istud genus oratorum, qui se antiquos vocabant. Hi Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legebant cet., teste Tacito Dial. 23, 2.

94. *Horatio*] Serm. I, 4, 11. „Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles." Cf. ibid. 10, 50. „At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem Plura quidem tollenda relinquendis." Priore illo loco Horatium nil nisi vitia Lucilii memorare velle, nullis intermixtis laudibus, vel ex antecedente versu 9. „*Nam fuit hoc vitiosus*" cet. intelligitur. Attamen cum vett. scholiastis Heindorfius, cui adstipulantur Buttm., Wolff., Geel., Gernhard., *tollere* interpretatus est *servare, assumere, excerpere, eligere* (tanquam e luto aurum), parum idoneis rationibus. Convenientius et loci sententiae et usui loquendi alii interpretantur *recidere, delere*. Vid. Fr. Aug. Wolfii disputationem de versu Horatiano et loco Quint. admodum subtilem in Analectis literariis Vol. I. p. 185 sq. Iam vero pron. *aliquid* maiorem quandam vim habeat necesse est, ut significet *ein gut Theil, gar Manches*.

eruditio] *Eruditionem* Lucilii Spald. maxime in praeceptis linguam spectantibus ponit, collatis hisce locis: Qu. I, 6, 8—9. 7, 15. 19. Horat. Serm. I, 10, 64—66. „*Eruditi* autem multum abest ut sint, quos nunc vulgo intelligimus, memoria multarum rerum onusti, multiscii; sed elegantes potius, ab horrida illiteratorum barbarie alieni." *Spald.* ad I, 5, 25. Cf. §§. 95. 98. 130. 7, 21. et supr. §. 32.

acerbitas] quam Graeci δριμύτητα dixere, est pars urbanitatis acrioris, quae cum sale et amara irrisione coniuncta est, ἁλσμῷ et

bitas et abunde salis. Multum est tersior ac purus magis *Horatius* et, non labor eius amore, praecipuus. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, *Persius* meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabun-

---

§. 94. *abunde*] ex Tur. Flor. Alm. Camp. cum Frotschero Gernh., Herzog., Zumpt., Aug. dederunt *abundantia*. Coniicit tamen Herzog. *abunde etiam*, sequentia *Multum est* interpretamentum esse ratus vocis *abunde*, ut oratio proceda[illegible] *Tersior ac purus.* — *Multum est*] Sic Guelf. cum Alm. Voss. 3. et edd. ante Ald. Sed Tur. *multum et est*, quod recep. Frotsch. *Multum etiam est* Flor. Paris. 1. Camp. *Multo etiam est* Par. 2. Voss. 2. Goth. Cf. ad §. 86. Mihi maxime probatur Herzogii ratio. Cf. §. 77. init. Certe *est* non placet. Spaldingio etiam amplificatio ista comparativi „*multo* tersior" nimia videtur in Quintiliano, non magno quidem Horatii admiratore. — *non labor eius amore*] Sic Tur. cum Alm. et Leid. A. Sed Flor. Guelf. Goth. Voss. 1. 2. 3. Paris. 1. 2. et edd. ante Ald. exc. Camp. *nisi labor eius amore*. His verbis eiectis Spald. edidit *ad notandos hominum mores*, quae verba in Camp. leguntur, profecta videlicet ex antiqua coniectura. Servanda tamen duxerunt Gernh. et Herzog., ut appareat, in quo genere sit praecipuus.

μυκτῆρι Graecorum. Itaque Qu. X, 1, 117. Cassio Severo *acerbitatem* miram et urbanitatem, eidemque mox stomachum tribuit, Talent zur bittern, beifsenden Satire. *Ernest.* p. 5. cf. §. 96.

abunde salis] Sic *abunde* c. genit. coniungit Sallust. Cat. 58, 9. „*commeatus abunde.*" Suet. Caes. c. 86. Virg. Aen. 7, 552. — *sal* et *sales* de facetiis dicuntur, ut VI, 3, 18 sq. Cic. de Orat. II, 54. Orat. 26, 89 sq. Cf. ad §. 107.

purus] spectat nativam et inaffectatam poetae elegantiam ac munditiem. Vid. Ernest. p. 315.

non labor eius amore] VI, 3, 3. „Mihi quidem, sive id recte iudico sive *amore* immodico praecipui in eloquentia viri *labor*, mira quaedam in eo videtur fuisse urbanitas." Cic. Brut. 70, 244. „Non puto — existimare te *ambitione* me *labi.*" Plin. Epist. IV, 27, 2. „Nisi forte me *fallit* aut *amor* eius" etc. Cum Herzogio August. retinuit *nisi labor*, quod *non labor* rhetoris modestiae minus putaret convenire. Sed eadem fere sui iudicii fiducia Plin. Ep. VI, 26, 1. „Ipse est — puer simplicitate, comitate iuvenis, senex gravitate: *neque enim amore decipior.*"

Multum et verae gl.] Latini saepe coniungunt duas sententias duoque nomina per *et*, quorum alterum priori addit distinctiorem definitionem, idque illustrat et explicatione amplificat. — Nomina, quae per *et* componuntur, diversi esse possunt generis ac formae. *Hand.* Turs. II. p. 477. et 471.

hodieque] pro *hodie quoque*, quod libri nonnulli exhibent, argentea demum aetate frequentari coepit.

tur. Alterum illud etiam prius satirae genus, sed 95
non sola carminum varietate mixtum condidit *Terentius Varro*, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguae latinae et omnis antiquitatis et rerum Graecarum nostrarumque, plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae. *Iambus* non sane a Romanis ce- 96
lebratus est ut proprium opus, quibusdam interposi-

---

95. *Alterum — Varro*] Palam est ex his tanti magistri verbis, Lucilianam satiram, de qua paullo ante dixerat, posteriorem esse satira Varroniana, cum tamen annis minimum uno et triginta post magnum Auruncae alumnum in lucem editum natus sit Varro. Nimirum hoc voluit Fabius, satiram, in qua Varro claruit, eam ipsam esse quam vetusti scriptores, quorum facile princeps Ennius, illustraverant: interesse tantum, quod illi sola metrorum varietate poemata sua satyrica condiderant, Terentius vero etiam prosam satirae suae miscuerat. Enimvero mirificum prorsus et multiplici varietate notabile, ne dicam monstruosum, opus edidit Varro, cum in illo opere prosam miscens cum carmine, seria cum iocis, Graeca cum Latinis (id enim et fragmenta arguunt), novae scriptionis exemplum Latinis suis primus dedit. *Casaubon.* de sat. poes. II, 2. p. 199. ed. Rambach. Admiror Gesnerum et Spaldingium, quibus egregia haec loci nostri interpretatio non ab omni parte satisfecerit. Nam quod alter ille dicit, Casauboni rationem cum iis, quae §. 93. dicat Fabius, nimis diserte pugnare, id secus est. „Neque enim, ut Frotscheri verbis utar, omnino *primus in satura* Lucilius dicitur, tanquam qui *ante Ennium* saturas scripserit, sed cuius in hoc genere *prima et praecipua laus sit.*"

Plurimos — et doct.] Sunt in veteribus linguis quaedam verba, quae in aliis non plenam habent attributivi notionem, praesertim quae ad numerum et magnitudinem pertinent. Sic Graeci dicunt πολλὰ καὶ μεγάλα, Latini *multa et magna.* Hand. Turs. II. p. 475.

scientiae collaturus] *Conferre* cum dativo iunctum tum rei tum personae legimus §§. 27. 63. 71. *ad aliquid* §. 1. *in aliquid* est 7, 26.; absolute dicitur 5, 4. Cf. etiam 1, 124. „Plautus in Stoicis *rerum cognitioni* (al. *cognitione*) *utilis*"

96. *Iambus — celebratus est*] i. e. iambica carmina non sunt *frequentata* (cf. II, 10, 2.) *ut proprium* (peculiare) *opus*, quale inter Graecos condiderunt Archilochus, Hipponax, Simonides, quorum integri erant libri iamborum. Quare iidem *iamborum scriptores* nominari recte poterant supr. §. 59. *Fr.*

quibusdam interpositus] Interprete Frotschero hoc dicit Fabius: „Iambica carmina a quibusdam Romanis interposita sunt aliis quae scripserunt carminibus. Non habent Romani eiusmodi poetas, qui proprio nomine nuncupari iamborum scriptores possint, ut qui proprium opus, integros iamborum libros, ediderint." De dativo, prope ad notionem dativi commodi accedente, cf. 7, 21. „Qui stultis videri eruditi volunt, stulti *eruditis iudicantur.*"

tus: cuius acerbitas in *Catullo*, *Bibaculo*, *Horatio*, quanquam illi epodos intervenit, non reperietur. At *Lyricorum* idem *Horatius* fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et varius figuris et verbis felicissime audax. Si quem adiicere velis, is erit *Caesius Bassus*, quem nuper vidimus: sed eum longe praecedunt ingenia vi-
97 ventium. *Tragoediae* scriptores veterum *Attius* at-

---

§. 96. *illi*] Al. *illa* vel *ille*. — *intervenit*] Tur. Fl. *interve non*, a sec. m. uterque *intervenire non*. Guelf. et Voss. 1. *intervenit*. — *reperietur*] Sic Tur. et a pr. m. Flor. Reliqui *reperiatur*. Locus ita corruptus est, ut vix sanari possit. Frotsch. et Zumpt. cum Spald. *illi ep. intervenire reperiatur*. Herz. *illi* (sc. iambo) *ep. intervenit*, *non reperietur*. Aug. *ibi* (sc. ap. Horat.) *ep. intervenit*, *non reperiatur*. Hermann. reposuit: *illi* (Horatio) *ep. interveniat*, *reperietur*. Homo doctus in Ephemer. Ien. a. 1825. no. 72. coniecit: *cuius acerbitas in Catullo*, *Bibaculo*; *in Horatio*, *quamq. illi ep. intervenit*, *non reperietur*, et sic edidit Gernhard. Novissime Baden in Iahn. et Seeb. Annall. a. 1832. Tom. VI. Fascic. IV. p. 393. scribendum censuit: *quanq. illi epodos integra non reperiatur*. „Nam, inquit, in parte tantum Epodon Horat. brevior versus excipit longiorem, dimeter trimetrum." Nihil horum satis placet. — *varius*] Spald. coniecit. Vulg. *variis*. — *Si quem*] Al. *si quendam* vel *si quidem*. — *is erit*] *is*, quod in plerisque libris deest, absorptum videtur antecedente voce. — §. 97. *veterum*] Codd. nonnulli omitt. hanc vocem, cui, ut ait Frotsch., non modo opponitur, quod §. 98. est *Iam* (i. e. recentioribus temporibus), sed etiam *quos viderim*.

---

acerbitas] *Iamborum amaritudinem* habet Tac. Dial. 10, 5. Cf. Qu. IX, 4, 136. „*Aspera* iambis maxime concitantur." ibid. §. 141. „*Aspera* vero et *maledica*, ut dixi, etiam in carmine *iambis* grassantur.

epodos] Iamborum inventor Archilochus eiusmodi quoque iamborum genere usus dicitur (Plutarch. de Music. p. 1141.), quos ἐπῳδούς appellaret, quia in illis, ut tradit Diomedes p. 482. ed. Putsch., *versuum partes* (versus breviores) legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, h. e. accinuntur, vel, ut Hephaestion de Metr. p. 70. *Pauw.* docet, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται. *Doering.* ad Horat. Ep. p. 134. Edit. minor.

varius figuris] Geel. comparat seq. *verbis audax*. §. 68. *sententiis densus*. §. 102. *sententiis creber*.

quem nuper vidimus] Quos se vel alios *vidisse*, eos horum pueritiam vel adolescentiam vivendo attigisse significat. *Spald.* ad §. 98. cf. §. 118. Sic et „qui a nobis *auditus* est" §. 102. — *nuper* modo brevius modo longius praeteriti temporis spatium indicat. Cf. §. 119. et Herzog. ad Caes. B. G. I, 6. p. 20.

que *Pacuvius* clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest, temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Iam *Varii* 98
Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. *Ovidii* Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir

---

videri doct.] Guelf. *vendicare d.* Voss. 1. 3. *venderet.* Herz. *vindicare* edidit. — §. 98. *Graecarum*] Sic Tur. Flor. (a pr. m.) Alm. pro *Graecorum.*

---

97. *Attius atque Pac.*] saepissime una nominantur. V. Cic. Brut. 64, 229. Tacit. Dial. 20, 5. 21, 8. Horat. Epist. II, 1, 55. Ciceroni Orellius restituit *Accius:* recentiores enim dicit *Attius* scripsisse, utrumque autem niti Inscriptt.

verborum pondere] Quaecunque singularem gravitatem, dignitatem et vim habent ad mentes movendas percellendasque, *pondera* dicuntur, quae non solum rebus et sententiis, sed verbis etiam dicendique formis tribui solent. *Ernest.* p. 293. Cic. de Orat. II. 17, 72. „Omni sententiarum gravitate, omnibus *verborum ponderibus* est utendum." *Pondus rerum* est infr. §. 123. et 2, 23. *rerum pondera* 1, 30. *pondera singulorum* 3, 5. Simpliciter *pondus* 7, 28.

summa — manus] Cic. Brut. 33, 126. „*manus extrema* non accessit operibus eius." Cf. ad §. 21.

Pacuvium — doctiorem] Horat. Epist. II, 1, 55. „Aufert Pacuvius *docti* famam senis, Attius alti." Cf. Cic. Orat. 11, 36. „Pacuvio (delector), inquit alius: omnes apud hunc *ornati elaboratique* sunt versus."

esse — affectant] Silius IV, 138. „Dum primae decus *affectat decerpere* pugnae." Cf. Stat. Theb. I, 132. et supr. ad §. 18.

98. *Varii — Medea*] Tacit. Dial. 12, 7. „Nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est quam Medea *Ovidii* aut *Varii* Thyestes."

Graecarum] Non minus recte per compendiariam locutionem dici potuit *Graecorum.* Plin. Ep. I, 16, 3. „*quas* (orationes) facile *cuilibet veterum*, quorum est aemulus, comparabis" i. e. *orationibus cuiuslibet veterum.* Cf. ad §. 31. De *comparandi* verbo vid. ad §. 68. Cf. §. 105. „Ciceronem cuicunque eorum fortiter *opposuerim.*" et §. 101. „nec *opponere* Thucydidi Sallustium verear."

quantum — potuerit, si — maluisset] Haec consecutio temporum ex oratione recta explicanda, qua dici potuerat: *quantum praestare potuit, si maluisset!* Cf. Zumpt. §. 519. et Grotef. §. 310. 2. — De Ovidio nimium sibi indulgente cf. §. 88. *Medeam*, quae a vett. in nobilissimas referebatur fabulas, intercidisse nemo ignorat.

praestare potuerit, si ingenio suo operari quam indulgere maluisset. Eorum quos viderim longe princeps *Pomponius Secundus*, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur. 99 In *comoedia* maxime claudicamus, licet Varro *Musas*, Aelii Stilonis sententia, *Plautino* dicat *sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent*, licet *Caecilium* veteres laudibus ferant, licet *Terentii* scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae, si 100 intra versus trimetros stetissent. Vix levem conse-

---

operari] Ita Tur. *operum* Alm. *imperare* Colon. (1527.) et Bas. Vulg. *temperare*, quod retinuissem, nisi didicissem a Gernhardo, Quintilianum hoc verbum nusquam cum dativo iungere, sed c. accusativo, ut I, 2, 27. XI, 1, 28. 91. 3, 42. Cf. infr. ad 3, 13.

Eorum quos viderim] Prorsus sic §. 118. Cf. Cic. Brut. 17, 65. „*quas quidem* adhuc *invenerim et legerim.*" 48, 180. „*quos quidem ego cognoverim.*" 55, 203. „*quos quidem ego audiverim.*" Contra Qu. XII, 10, 11. „In iis etiam, *quos* ipsi *vidimus.*" De coniunctivo vid. Zumpt. §. 559. cl. Grotef. §. 536. n. 2. p. 444.

parum tragicum] quippe qui nimium concederet nitori cuidam novitio. *Sp.*

99. *claudicamus*] i. e. inferiores Graecis sumus.

si — vellent] Exspectes *voluissent*, ut apud Nep. IX, 2. „*si* Cono *non fuisset*, Agesilaum — *fuisse erepturum.*" ibid. XVII, 6. „*nisi* ille *fuisset*, Spartam *futuram non fuisse.*" Sed vid. Zumpt. §. 525. Sententiae causa cf. Plin. Ep. II. 13, 7. „Epistolas quidem scribit, ut *Musas ipsas Latine loqui credas.*" et supra ad §. 82.

laudibus ferant] i. e. *laud. efferant.* Sic Plin. Epp. VIII, 6, 10. „Senatus tamen id quoque *laudibus tulit.*" Sueton. Oth. „mortuum *laudibus tulit.*" Vid. ad h. l. Brem. et ad Nep. VI, 4, 2. *Fr.* Adde Tacit. Dial. 19, 4. „in coelum *laudibus ferebatur.*"

ad Scip. Afr.] Scipioni Africano fabulas Terentianas adscriptas fuisse, Suetonius refert in vita Terentii c. 3.

plus adhuc] Ubi in re comparativo expressa non tantum gradum, sed accessionem ad alias res conspicimus, *adhuc* post comparativum ponitur. Sicuti nos distinguimus haec: er hat *noch grösseres* gethan et er hat *grösseres noch* gethan. *Hand.* Turs. I. p. 166. Idem vv. *et plus adhuc* interpretatur: *et insuper, et adeo plus.* Cf. ad §. 71. Ceterum Fabii iudicium prorsus improbat Bentleius in schediasmate de metris Terentianis p. VIII. Sed Bernhardy quoque in hist. lit. Rom. p. 194. Terentium, ut *Menandri imitatorem*, ad *trimetros* i. e. *iambos et trochaeos* astrinxerit.

quimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, cum eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint. Togatis excellit *Afranius*, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fassus.

At non *historia* cesserim Graecis nec opponere 101
Thucydidi *Sallustium* verear: neque indignetur sibi Herodotus aequari *T. Livium*, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita

---

§. 100. *cum — obtinuerint*] *quum* Fl. *cum* Paris. 1. 2. Goth. Iens. cum edd. ante Ald. *quoniam* Tur. et Camp. Vulgo *quando*. Cf. Orell. ad Cic. Orat. §. 201. *obtinuerunt* Guelf. — §. 101. *cesserim*] de Burmanni coniectura. Herz. restituit *cesserit*. Tur. et Alm. plane omittunt. — *neque ind.*] Al. *nec ind.* Mox Camp. *Herod. aeq. sibi.*

---

100. *illam sol. conc. Att. ven.*] Advertat lectorem exquisita haec verborum collocatio, qua quidem cohaerentia quaeque interposito verbo dirimuntur. Cf. §. 122. „Habebunt — magnam eos — materiam vere laudandi."

Togatis] sc. *fabulis*, quae scriptae sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est Romanorum. Toga namque Romana est. *Diomedes* III, 487. C. Opponuntur his *palliatae* s. Graecorum ferentes habitum, quibus *Plautum*, *Caecilium*, *Terentium* excelluisse constat. Vide Bernhardy l. l. p. 185. et 196 sq. Baehr §. 37. — De *Afranio* cf. Cic. Brut. 45. Finn. I, 3. Vellei. II, 9. Macrob. VI, 1.

utinamque] Additur enclitica, quo arctior fiat cum praecedentibus cohaerentia. *Fr.* Idem comparat II, 10, 9. VI prooem. §. 7. VI, 3, 5. IX, 3, 1. Infra 2, 15. est *atque utinam*, ut ap. Cic. Brut. §§. 68, 75. Plin. Ep. I, 2, 6. 10, 3. Cf. Hand. Turs. I. 487.

101. *sibi*] Sic persaepe pronomina personalia verbis arcte cohaerentibus interseruntur. Cf. 2, 16. 5, 22. 7, 18.

candoris] Non refero cum Wyttenbachio Bibl. crit. III, 4. p. 29. ad animi sinceritatem ac benevolentiam, sed ad dicendi genus, quod, ut ait Spald. ad II, 5, 19., nihil oblique significet, sed omnia liquido exponat. Sic est *candidum genus dicendi* infr. §. 121. et Cic. Orat. 16, 53. „Elaborant alii in lenitate et aequabilitate et puro quasi quodam et *candido* genere dicendi." Contra animus eiusque bonitas designatur, ubi iunguntur *simpliciter* et *candide (ehrlich und redlich)*, ut XII, 11, 8. et Cic. Fam. VIII, 6.

supra quam en. potest] Plane pro *inenarrabiliter*, quod est apud Liv. XLI, 15, 2. cf. Quint. VI, 3, 6. *Spald.* Similis orationis color ap. Sallust. Cat. V, 3. „supra quam cuiquam credibile est." *Fr.*

quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt: affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum
102 commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur *Servilius Nonianus*, *pares eos magis quam similes:* qui et ipse a nobis auditus est, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat.
103 Quam paulum aetate praecedens eum *Bassus Aufidius* egregie, utique in libris belli Germanici, praestitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam
104 suis ipse viribus minor. Superest adhuc et exornat

---

§. 104. *adhuc et — memoria*] Tur. et a pr. m. Flor. *ad hoc exornat — memoriae*, neque displicuit genitivus Sarpio et Frotschero. Vid. huius edit. p. 241.

---

dulciores] quibus scilicet lectores iucunde afficiuntur. Vid. ad §. 48. et ad §. 73.

commendavit] *approbavit* suis lectoribus. *Sp.*

102. *consecutus est*] Hoc verbum, summa hic proprietate positum, esse *pensare*, praecurrentem ita consequi, ut non sit potior ipso qui sequebatur, quo nomine *diversae virtutes* aptissime dicantur, annotavit Spald. Cf. 2, 7. 3, 19.

et ipse] *auch selbst.* Distinguitur enim hic persona Noniani ab eius scriptis, non auditis illis, sed lectis a Fabio. Cf. ad §. 31.

103. *omnibus — quibusdam*] neutrius sunt generis. Adiici poterat *partibus*, ut §§. 64. 65.

suis ipse virib. minor] *inferior.* Non igitur praestitit ea, quae praestare per vires suas poterat. *Fr.* Viribus suis non ita usus reperitur, ut debebat. *Aug.* De *suis ipse* cf. 5, 2. „Cicero *sua ipse* persona praecipit."

104. *Superest — dignus*] Illa Quintiliani fortasse ad *Tacitum* referuntur. Ambigo ideo, quia haec vivo Domitiano Fabius scripsisse videtur. Atqui Tacitus tunc, ut opinor, nil vulgaverat. *Lipsius* in testimoniorum de Tacito recensione. Tacitum quo minus hic inveniamus, multa sane possunt vetare; quorum tamen illud, quod a tempore editi ab eo operis repetitur, argumentum satis infirmatur, si, id quod Burm. monet, recitantem inter amicos quae nondum vulgaverit fingamus. *Spald.*, qui pluribus rem persequitur in annot. ad h. l. *Fabium Rustieum*, cuius frequens est apud Tacitum mentio (inprimis Agric. 10.), significari Sarpius suspicatus est Quaest. phil. cap. 1. Poterat eodem fere iure Vipsanium Messalam. Quibus porro

aetatis nostrae gloriam vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut libertas, quanquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis quae manent. Sunt et alii scriptores boni: sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus.

Oratores vero vel praecipue Latinam eloquen- 105
tiam parem facere Graecae possint. Nam *Ciceronem*

---

nec imitatores] „Leve est, quod annoto, sed fefellit tamen multos, *nec imitatores* (cf. infra §. 126.) vel grammatica ratione coargui, quoniam debebat esse *non imitatores*. [At v. Plin. Ep. III, 1, 9.] Restituendum igitur videtur *nec immerito*, qua formula dicendi Quint. delectatur." *Zumpt.* In optt. codd. est *nec immerito remitti (remuti) libertas*. Pro *ei nocuerit* Tur. et a pr. m. Flor. *vel* (Alm. *illa*) *nocuerit*. Baden l. c. scribendum censet: *nec immerito; miranti (seinem Bewunderer) libertas — vel noc.* Alii alia tentarunt. — *iis*] Tur. Fl. *his*.

---

rationibus idem Sarpius et alii locum corruptum aggressi sint, vide in edit. Frotsch. excursu II. Nam, ut libere fatear, earum nulla paulo mihi probabilior videtur. *Zumpt.* Vid. annot. crit.

libertas — nocuerit] Plerique omnes *libertatis* nomen et verbum *nocere* ad pericula, quae tum libere de rep. dicentes vel scribentes circumstabant, referunt: quod longe mihi aliter videtur. Nam scriptoris nostri ingenium, quod quam timidum et obnoxium principum adulationi fuerit, proxima pagina testata est, ab omni eiusmodi commemoratione abhorret, nec potuit ab hoc vir clarus appellari, de cuius submisso adversus principes animo ulla dubitatio esset. Quapropter *libertatem* et *circumcidere* de nimia ipsius hominis severitate in castigandis atque adeo damnandis delendisque operibus suis intelligo, quam Quintilianus *vel nocere* ait in publicum, siquidem ille studiosos iam orationum fructu privarit ex parte. *Zumpt.* Hanc quidem interpretationem omnium minime ferendam puto. Neque enim *libertas* de nimia scriptoris in se calumnia (§. 115.) intelligi potest, et multo minus particula *quanquam* patitur v. *circumcidere* et *libertatem* eodem referri.

scriptores] Hoc nomen, sicut συγγραφεῖς apud Graecos, *historicos* maxime significat. Vetustissimos autem, Caelium, Sisennam, alioqui sibi memoratos, hic recensere noluit. *Sp.*

genera] Supra §. 45. erat *genera lectionum*. Sed infra §. 125. „Senecam in *omni genere eloquentiae* distuli."

105. *parem facere*] Hoc, nisi fallor, consulto assumsit e vocabulis rationum subducendarum. *Sp.* Non dissimilis est locus Ciceronis Brut. 36, 138. „Nam ego sic existimo — in his (oratoribus) primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam." *Fr.*

cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum praesertim non sit id propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem inprimis
106 legendum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem, dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sunt inventionis. In eloquendo est ali-

---

§. 106. *ordinem, dividendi*] Vulg. *ordinem dividendi*, non interposita virgula. Vid. annot. — *omnia denique*] Tur. et a pr. m. Fl. cum Alm. *omnia* omittunt.

---

eorum] *Graecorum*, de qua synesi vid. ad §. 29.

fortiter opposuerim] *opponere ausim*, ut interpretatur Spald. ad I, 5, 72. Cf. V, 10, 78. Horat. Carm. I, 14, 2. Serm. II, 3, 42.

id propositi] Sic IV, 2, 21. „scire — *quid acti* sit." ib. 128. „indicare *quid facti* sit." VII, 1, 50. „iam *multum acti* est." Neglexerunt hunc usum grammatici nostri. Ceterum Gesnero haerere se fatenti, qui hoc minuat augeatve pugnam, si compares vel non compares, responderi potest, instituta legitima concertatione Fabium omnia omnino potuisse argumenta expromere, quibus Ciceronis obtrectatoribus (de quibus v. IX, 4, 1. XII, 1, 22. 10, 12. Tacit. Dialog. 18, 5.) silentium imponeret.

hoc tempore] Haec verba, quibus nunc aliud se agere significat Fabius, non sine vi quadam in finem enuntiationis sunt reiecta.

106. *Quorum ego — arbitror*] Cicero quoque pronomina sic coniungere solet. Catil. II, 9, 20. „*quas ego* — sentio." ibid. „*quos ego* — pono." II, 8, 17. „*quos quidem ego* — studeo." II, 10, 21. „*Hosce ego* — arbitror." Cf. supra §. 67. „*Idque ego* sane — iudicatum relinquo." Similiter *atque ego* 2, 20. *neque ego* 1, 30. 80. 5, 5, 7, 4. In huiusmodi locis personale solita sua vi plerumque caret, ut §. 82. „*Quid ego* commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam?"

consilium] quo deliberat orator, qua ratione in quaque causa versandum sit. Cf. II, 13, 2. VI, 5, 3. sqq. *Fr.*

ordinem] sc. *rerum*, i. e. *narrationem* s. *expositionem*. Sic IV, 3, 8. „Iudex enim, *ordine audito*, festinat ad *probationem*." Genitivus *rerum* modo additur modo omittitur. Cf. infra 6, 2. 7, 9. IV, 2, 49. 51. 73. 128. 3, 14. 4, 9. V, 13, 28. Vulgatam interpungendi rationem (v. annot. crit.) non ferendam puto tum propter defectum copulae in verbis *praeparandi, probandi:* scribendum enim erat *praep. ac probandi rationem:* tum quia *ordinem dividendi* pro *dispositione* vix dicere licet. Similia recensentur 2, 27.

omnia denique] et *denique omnia* est: omnino omnia. Id dicitur de genere rerum universo: quanquam idem una voce *denique* exprimi

qua diversitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius: pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adiici: curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, qui duo plu- 107
rimum affectus valent, vincimus. Et fortasse epilogos

---

illi — huic] Tur. Fl. a pr. m. uterque *illic — hic.* — §. 107. *qui — affectus*] Herz. cum Camp. *quae — in affectus.* Tur. a s. m. et Obr. *quae — in affectibus.* cf. 3, 18. *adfectibus* etiam a pr. m. Tur. et Flor. cum Alm.

---

potest. Sic etiam *quidque denique.* Formula conficitur verbis *omnia denique huc redeunt. Hand.* Turs. II. 272 sq. Cf. §. 119. et Plin. Ep. VII, 9, 13.

densior ille] Cf. §. 76. *Ille* quum eum significet qui sit remotior, hic ad Demosthenem refertur ut Graecum et Cicerone annis priorem.

concludit] *Concludere* hic non est argumentari, argumentis colligere, sed eius qui sententias ita proponit, ut aptae fiant *comprehensiones* et *ambitus* illi *verborum*, quas periodos vocant. Nos dicimus *periodiren:* cui opponitur *carptim* vel *membratim* dicere. *Fr.* Ita *sententiarum conclusio* est pro periodo apud Cic. Orat. 50, 169. Cf. ib. c. 51. et de Orat. II, 8, 34.

illi — adiici] De Demosthene idem iudicabat §. 76. Apud Ciceronem facilius quod reiici quam quod adiici possit inveniri, etiam alibi pronuntiavit, ut VI, 3, 5. XII, 1, 20. Aliorum scriptura *illic — huic* mihi propter inconcinnitatem valde displicet, quanquam non nego, adverbia loci haud raro pro pronomine cum praepositione poni.

107. *Salibus*] quorum duo genera sunt, unum *facetiarum* (Laune, Humor), alterum *dicacitatis* (schnell und oft durch ein einziges Wort überraschender Witz). Altero utimur in narrando aliquid venuste, altero in iaciendo mittendoque ridiculo. Cf. VI, 3, 39. sqq. et supra ad §. 94. De sententia cf. VI, 3, 2. sqq.

commiseratione] Haec est oratoris misericordiam auditorum in epilogo commoventis apud Auctorem ad Herenn. II, 31., ubi et varii loci, quibus illa tractari possit, enumerantur. *Ern.* p. 67. Audias ipsum Ciceronem Orat. 36, 130. „Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant; in quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar." Cf. ibid. §. 131.

qui duo — affectus] In *ioco* quoque affectum esse, vidimus lib. VI. c 3., quanquam diserte quidem non inditur hoc nominis. *Sp.* Cf. Plin. Ep. VII, 9, 13. „Recipient enim *amores*, *odia*, *misericordiam*, *urbanitatem*" (sinnreichen Spott, feine Satyre), ubi vides *urbanitatem* affectibus annumerari.

mos civitatis] XII, 10, 26. „Si quis ad eas Demosthenis virtutes, quas ille summus orator habuit, tamen quae defuisse ei sive ipsius na-

illi mos civitatis abstulerit: sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque, dialogisve, quibus nihil ille, nulla contentio est. 108 Cedendum vero in hoc quidem, quod ille et prior fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthe- 109 nis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate.

---

ille] de coniectura Spald. Nam codd. *illi*. Idem Spald. malebat *in quibus*.

---

tura seu *lege civitatis* videntur, adiecerit, ut affectus concitatius moveat" etc. II, 16, 4. „Athenis quoque, ubi *actor movere affectus vetabatur*, velut recisam orandi potestatem." VI, 1, 7. „*Athenis affectus movere etiam per praeconem prohibebatur orator.*" Sed ab Areopago solo affectus proscriptos fuisse, non a ceteris tribunalibus probare studuit Spald. ad II, 16, 4. Vid. infr. ad 5, 2.

sed et nobis] Coniunctio *et* hic fere vim habet vocis *vicissim*. Sp. Minime. „Dicunt enim Latini *at et*, *verum et*, *sed et* in iis, quae opponuntur et simul cum distinctione nectuntur. Graecarum δέ τε comparari potest, et magis etiam gothicum uththan jah, quod est, *aber auch*." *Hand.* Turs. II. p. 510. Cf. Cic. Brut. 17, 67. „*Sed et* in nostris inscitia est." ubi *et*, ab Heusingero et Ellendtio deletum, recte restituit Orellius.

illa — mirantur] i. e. illam gratiam sermonis Attici. Cf. §. 100. et XII, 10, 35. sqq.

quibus nihil ille] Defectus verbi *protulit* seu *effecit* hic neminem offendet.

nulla contentio est] Plin. Ep. III, 9, 8. „Habet quidem gloria, in studiis praesertim, quiddam ἀκοινώνητον: *nobis tamen nullum certamen, nulla contentio.*" Dicit autem Fabius, nullam esse contentionem, quoniam Demosthenis epistolae (quas subditicias esse hodie nemo ignorat) admodum paucae eaeque de negotiis publicis scriptae pleraeque, dialogi autem prorsus nulli possent in certamen deferri.

109. *ex se — extulit*] Proprio sensu Cic. Brut. 4, 16. „Ager — uberiores *efferre* fruges solet." Cf. N. D. II, 33. „Ea, quae *efferunt ex se* aliquid, perfectiores habere naturas quam ea, quae *ex iis efferantur.*" Mire Herzog.: *er hat — aus eigner Kraft höher gesteigert.*

beatissima] *fecundissima*. Cf. 3, 22.

Non enim *pluvias*, ut ait Pindarus, *aquas colligit, sed vivo gurgite exundat*, donò quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius po- 110
test? Cui tanta unquam iucunditas affuit? Ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, ut cum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta 111
auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advocati

---

§. 110. *ut cum*] De coniect. Frotscheri, quam Zumptius quoque recepit. Vulgo *et cum*.

---

ut ait Pindarus] Nullus hodie in Pindari carminibus locus exstat, in quo illa vel similis quaepiam sententia reperiatur.

in quo — experiretur] Haud dissimile illud Nepotis Alc. 1. „In hoc natura, quid efficere posset (possit), videtur experta."

110. *docere — movere*] Nam duae summae sunt in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera graviter agendi ad animos audientium permovendos. *Cic.* Brut. 23, 89. Plerumque tamen rhetores tria ponunt, quae efficere orator debeat, ut *doceat*, ut *delectet*, ut *moveat*. Vid. Cic. de Orat. II, 29, 128. al. Et haec ipsa tertia ratio, qua Tullius animos eorum, qui audirent, suaviter mulceret devinciretque voluptate, continetur sequentibus: „*Cui tanta unquam iucunditas affuit?*"

extorquet] auditoribus. *Fr.* Recte, si auditores non alios intellexeris quam *iudices*, quos intelligendos esse et sequentia docent et ipsius locus Ciceronis de Orat. II, 18, 74. „Aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam *sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus*, ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus." Cf. ibid. §. 72.

cum — ferat] Concessivam hanc esse sententiam, ex eo intelligitur, quod sequitur *tamen*. Cf. ad §. 56. Falso, opinor, interpretes quidam *cum*, quod est *quando*, *quoties*, interpretantur *quamvis*, quasi vero Tullius semper et ubique transversum iudicem tulerit. Pro *ferre* = *auferre* in hac locutione etiam *agere* dicitur, ut apud Senec. Ep. 8. „Ne resistere quidem licet, cum coepit *transversos agere* felicitas."

111. *in omnibus — inest*] Sic Graeci duplicata praepositione ἐνεῖναι ἔν τινι. Vid. nos ad Xenoph. Symp. 8, 15.

advocati — fidem] IV, 1, 7. „Sic enim (sc. si vir bonus creditur) continget, ut non *studium advocati* videatur afferre, sed paene *testis fidem*." Apud Suet. Caes. c. 71. iuncta leguntur „*studium et fides* erga clientes." ubi tamen *fides* alium habet sensum. *Advocatus* Ciceronis aetate is tantummodo dicebatur, qui advocaretur, ut consilio suo et praesentia in iudicio causam litigatoris iuvaret, ius suggere-

studium, sed testis aut iudicis afferat fidem; cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata et illa, qua nihil pulchrius auditum est, oratio prae se fert
112 tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae *regnare in iudiciis* dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.
113 Multa in *Asinio Pollione* inventio, summa diligentia, adeo

§. 111. *auditum*] Sic Tur. Flor. pro *auditu*, quod cum Spald. servavit Zumpt. — §. 112. *hominibus*] Optimi codd. exhibent *omnibus*.

---

ret, litigandi formulas forique morem doceret: sed deinde translata est haec vox ad significandum etiam ipsum patronum, qui causam dicit, causidicum, oratorem. Cf. IV, 1, 45. 46. XI, 1, 19. XII, 3, 6. 7, 4. cll. XII, 8, 5. Ceterum quod hic de Cicerone Quintilianus, idem fere Cicero de Scauro testatur in Bruto 29, 111. „In Scauri oratione — gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut *testimonium dicere* putares, cum pro reo diceret.

fluunt illaborata] Metaphora ducta ab aqua fluenti, cuius adspectus animo affert notionem motus cuiusdam liberi, quo illa nemine impellente aut cogente, sed sponte feratur. V. *Ernest.* p. 177. sq. Sic IX, 4, 147. „ut numeri *sponte fluxisse*, *non arcessiti et coacti* esse videantur." Cf. XII, 10, 79. „Inde fructus *illaborati* offerunt sese et omnia *sponte* proveniunt." Opponitur *intentissima cura*.

qua — est — tamen] Prorsus sic Cicero Orat. 2, 8. „Itaque et Phidiae simulacris, *quibus nihil — perfectius* videmus (vidimus) — cogitare *tamen* possumus pulchriora." In priori enuntiato concessivam latere sententiam: *quamvis pulcherrima oratio*, *quae unquam audita est*, facile perspicitur.

112. *regnare in iudiciis*] Respicit huc ipse Fam. VII, 24. „olim cum *regnare* existimabamur." et Fam. IX, 18. „amisso *regno forensi*." *Gesner*. Cf. Orat. pro Sulla c. 7. ibique Matthiaeus.

hoc — exemplum] i. e. *hic* (Cicero) propositus nobis sit exemplum. Plin. Ep. VI, 11, 3. „Quid enim — mihi optatius quam *me*, ad recta tendentibus *quasi exemplar* esse propositum." Cf. ibid. VIII, 23, 3. „Imitantur neminem atque *ipsi sibi exempla* sunt." De pronominis demonstrativi ad nomen, quod est in praedicato, accommodatione vid. Zumpt. §. 372. Grotef. §. 111. Sic infr. 3, 17. „*hanc* silvam vocant."

113. *diligentia*] potissimum cernitur in delectu verborum, unde oritur elegans oratio, in qua nihil sit insolens neque ineptum. Vid. Ernest.

adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior. At *Messala* nitidus et candidus et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor. *C.* vero 114 *Caesar* si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec

---

§. 113. *praeferens*] Al. *prae se ferens.*

Ernest. p. 125., qui interpretatur *Genauigkeit in Beziehung auf Reinheit der Sprache und deren eigenthümliche Form.* Uno verbo Qu. Pollionis et ceterorum, qui dehinc recensentur, oratorum characteres indicat XII, 10. 11. „Hic vim *Caesaris*, indolem *Caelii*, subtilitatem *Calidii*, diligentiam *Pollionis*, dignitatem *Messalae*, sanctitatem *Calvi*, gravitatem *Bruti*, acumen *Sulpicii*, acerbitatem *Cassii* reperiemus. In iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam *Senecae*, vires *Africani*, maturitatem *Afri*, iucunditatem *Crispi*, sonum *Trachali*, elegantiam *Secundi.*

et consilii et animi satis] In his *et — et* bis positum non cohaeret: nam alterum *et* coniungit universam sententiam. Cf. §. 24. Quid significet *consilium*, dictum ad §. 106. *Animum* Frotsch. intelligit de spiritu, de vi et contentione dicendi, quae ex ingenii quodam vigore nascatur, Graece πνεῦμα, θυμός. Cf. §. 114.

seculo prior] Tacit. Dial. 21, 8. „*Asinius* quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse." Senec. Ep. 114. „Multi ex alieno seculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt; ad Appium usque et ad Coruncanum redeunt."

praeferens] i. e. *prae se ferens.* Cf. §. 111. Sic iam Cic. p. Rosc. Am. c. 31, 87. „Avaritiam *praefers.*" et Fam. X, 8, 8. „*praeferre* sensus aperte." Magis tamen hic usus argentea invaluit aetate. Cf. Qu. VI, 2, 14. 3, 17. Plin. Ep. V, 16. Tacit. Annal. II, 53.

viribus minor] i. e. viribus tamen minus pollet. Aliter dicebatur §. 103.

114. *si — vacasset*] Tacit. Dial. 21, 6. auctor est, C. Caesarem propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecisse quam divinum eius ingenium postulaverit. At non ita iudicant Cicero Brut. c. 75. Sueton. Caes. c. 55. Plutarch. Caes. c. 3.

illum] non refero hic ad claritatem Caesaris, quia apud Qu. saepius sic positum hoc pronomen invenio, ut non minus recte *is* in eius locum succedere possit, ut 3, 32. 7, 28.

omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, 115 elegantia. Multum ingenii in *Caelio* et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir cui et mens melior et vita longior contigisset. Inveni qui *Calvum* praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. Sed est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est

---

§. 115. *Ciceroni*] Herzog. cum Camp. et multis edd. antiquis *contra* edidit.

---

proprie] *ganz eigentlich*, *ante omnia*, *praecipue*. Sic I, 5, 45. III, 7, 7. Cf. Ruhnken. ad Vellei. II, 9, 2. et Matth. ad Cic. p. Sest. 16, 37.

sermonis — elegantia] *Elegantiam verborum Latinorum* habet Cicero Brut. 75, 261. Cf. Suet. c. 55.

115. *urbanitas*] qua quidem significari video sermonem praeferentem in verbis et sono et usu proprium quendam gustum Urbis et sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem; denique, cui contraria sit rusticitas. *Qu.* VI, 3, 17. Talis fuit apud Graecos ἀττικισμός ille redolens Athenarum proprium sermonem. Cf. ibid. §. 107. Refertur autem *urbanitas* ad facetias quoque et leporem iocandi. Cic. pro Caelio c. 3. „Contumelia, si facetius iactatur, *urbanitas* nominatur." Cf. supr. ad §. 107. et mox §. 117.

mens melior] Moribus eum fuisse non magnopere sanctis, ipse qui defendit oratione Cicero significat. *Sp.* ad I, 6, 29. Cf. Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. CXII.

Ciceroni] Brut. 82, 283. cf. Tacit. Dial. 21, 2. sq.

nimia — calumnia] i. e. *cavillatione*, κακιζοτεχνίᾳ, qua quidem non prius desinunt scripta sua limare et corrigere quam omnem iis abtulerint gratiam. Cf. 3, 10. 4, 3. 7, 14. VIII. prooem. §. 31. XII, 10, 77. Plin. Epist. IX, 35, 2. Adde infr. 4, 4.

sancta] Quum Calvus antiquos illos, ut Ser. Galbam et Caium Carbonem imitatus esse perhibeatur (v. Tacit. Dial. 18, 1. sq.), recte intelligit Wolffius eam orationem, cui insit gravitas, pondus et rerum et verborum, antiquitas quaedam atque dignitas. Cf. IV, 2, 125. VIII, 3, 6. 24. 44.

custodita] quatenus intra leges recti continetur nec fines transgreditur. *Wolff.* Sic a Plinio minore IX, 26, 12. quae *custoditius praestiusque* dicuntur, opponuntur sublimibus et audentibus; et modo in loco Ciceroniano (Brut. 82.) erat Calvus *ipse sese observans*. *Sp.*

et — quoque] Coniunguntur voculae *et etiam*, *et quoque*, in quibus quid criticos viros quosdam offenderit, nunquam satis est cognitum. Sed triplex est usus. Nam aut *etiam* vel *quoque* simplici copulae additur, ut rem aliam praeter ceteras accedere significetur, *and*

Atticorum fecitque illi properata mors iniuriam, si quid adiecturus sibi, non si quid detracturus fuit. Et 116
Servius Sulpicius insignem non immerito famam tribus orationibus meruit. Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna *Cassius Severus:* qui si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et 117
ingenii plurimum est in eo et acerbitas mira; et urbanitas eius summa: sed plus stomacho quam consilio dedit. Praeterea ut amari sales, ita frequenter amari-

---

auch, aut duplex praecedit *et* in formulis *et — et quoque, et etiam.* Nec desunt exempla, in quibus *et* iterum positum *etiam* significat. Tertium est, in quo *et — etiam* fere unam habet significationem et *quoque et* dicitur, ut sit *ebenfalls auch.* Hand. Turs. II. 521. sq. Cf. §. 125. I, 1, 31. 7, 29. V, 14, 17. Sic Graeci καὶ — τέ. Vide quae annotavi ad Xenoph. Apomn. IV, 2, 28.

Imitator autem est] Olim legebatur: *Imitator est autem*, quod non displicet Frotschero: at falsum est, quum sensus verborum sit: est revera imitator. Codices recte exhibent: *Imitator autem est. Hand.* l. c. I, 579. Cf. ad §. 78.

116. *non immerito — meruit*] Sic VI, 4, 6. „*nec immerito* quidam — *meruerunt* nomen patronorum." ubi Spald.: „Displicent haec geminata. Sed hoc ipso usevo apparet, quam plane *merendi* verbum abierit in sensum impetrandi, etymo plane absterso." Vid. ad §. 72.

colorem] Desiderabatur in eo rerum varietas. *Aug. Lebendigkeit* interpretatur Herzog. Neuter recte. Quid desideret Qu. in Cassio optime intelligitur ex Tacit. Dial. 26, 5. „Primus enim (Cass. Severus) contemto ordine rerum, *omisso modestiae ac pudoris verborum*, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque delectus *non pugnat, sed rixatur.*" Cf. Qu. XI, 1, 57. et VI, 3, 27. Itaque bene Ernest. p. 65. *coloris* penuriam in Cassio eo dicit pertinere, quod ab omni dicendi moderatione et verecundia alienus fuerit, *gravitatis* autem, quod cum in vita omni minus bene se gesserit, tum vero iocandi acerbitati et amaris salibus nimium iusto indulserit. Neque aliter statuit Spald., quum nimiam affectuum, irae, malignitatis, invidiae simplicitatem improbari in Cassio dicat. Ceterum hic orator primus flexit ab illa vetere atque directa dicendi via et induxit novum ac pravum genus dicendi. Vid. Tac. l. c. et c. 19. Ellendt. Prolegg. ad Brut. p. CXLII. Wolf. praef. ad Marcell. p. XIX.

117. *dedit*] *concessit.* Qua elegantia *dare* dicatur, docet Ruhnk. ad Vellei. II, 7.

Praeterea — ridicula est] Refertur hoc ad eam quam in Cassio laudaverat urbanitatem, interiecto brevi, quae sensum non interpellet, sententia de errore Cassii. Adiuvatur enim illa summa huius oratoris urbanitas ipsa eius amaritudine, quae vel sine salibus per se

118 tudo ipsa ridicula est. Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est. Eorum quos viderim *Domitius Afer* et *Iulius Africanus* longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus et quem in numero veterum locare non timeas: hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnunquam longior et translationibus parum modicus.
119 Erant clara et nuper ingenia. Nam et *Trachalus* plerumque sublimis et satis apertus fuit et quem velle

---

§. 118. *locare*] Optimi codd. *bitare*. Al. *habere*, quod Herzogio et antiquius et elegantius videtur.

---

ipsa ridicula est, i. e. risum movet auditorum. *Ridiculum esse* in laude dicitur, non in vituperio. Vid. VI, 3, 22. sqq. *Sp.*

118. *diserti*] Notum est M. Antonii dictum, *disertos* se vidisse multos, *eloquentem* omnino neminem. Vid. Cic. Orat. 5, 18. de Orat. I, 21. Plin. Ep. V, 20. 5. Quint. VIII. prooem. §. 13. Sed h. l. *diserti* Spaldingio non videntur illo minus honesto significatu dici. Hoc enim vix credibile in magistro suo Domitio facturum fuisse Quintilianum. Frotscherus etiam §. 68. et 3, 13. *disertos* proxime ad *eloquentes* putat accedere. Commutantur sane haec duo vocabula (cf. Cic. Brut. 89, 145. cl. §. 148.), vix tamen Domitius Afer, Iulius Africanus, Trachalus ceterique Cassii Severi imitatores *eloquentes* dici poterant a Quintiliano, qui quibus rebus hi oratores inferiores sint antiquis illis, nusquam dissimulat.

longum est] In huiusmodi enuntiationibus Latinorum proprius est indicativus, quia res certa nec suspensa ex conditione cogitatur. Vid. Zumpt. §. 520. Grotef. §. 203. Hand. Theorie p. 199. Coniunctivus praes. vel perf. in his formulis est dubie et urbane dicentis, ut §. 87. „quos persequi infiniti *fuerit* operis."

compositione — longior] refero ad longiora, quae compositionis gratia faciat, hyperbata. Cf. VIII, 6, 66. IX, 4, 145. *Sp.* Adde IX, 4, 28 sqq.

translationibus p. mod.] i. e. *in transferendis verbis non satis verecundus et parcus*, „*translatione crebrior*" (Cic. Orat. 23, 81.). De *translatione* (μεταφορᾷ) agit VIII, 6. Cf. Cic. Orat. 26, 92. et de Orat. III, 38.

119. *apertus*] i. e. *lucidus, perspicuus.*

velle optima] noli cum Spaldingio ad honestatem et recti amorem trahere, qui in hoc oratore apparuerit. Neque enim in hoc recensu scriptorum aliae fere memorantur aut virtutes aut vitia, quam quae ad artem oratoriam et genus dicendi pertineant. Cf. §§. 122. 131. Similiter §. 89. *recti generis voluntas.* II, 12, 12. *bonae mentis iuvenes.* ibid. 4, 16. *malorum exercitatio.*

optima crederes: auditus tamen maior. Nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas et pronunciatio vel scenis suffectura et decor: omnia denique ei, quae sunt extra, superfuerunt. Et *Vibius Crispus* compositus et iucundus et delectationi natus: privatis tamen causis quam publicis melior. *Iulio Secundo* 120 si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim atque adiiciebat ceteris virtutibus suis quod desiderari potest. Id est autem, ut esset multo magis pugnax et

---

§. 120. *pugnax*] Optimi codd. *pugnans*.

---

auditus tamen maior] Huic igitur accidebat quod Hortensio, ut diceret melius quam scriberet. Cf. XII, 5, 5. „*Cum diceret*, eminere inter aequales *Trachalus* videbatur: ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus praestantia, *vox quidem non*, ut Cicero [de Orat. I, 28.] desiderat, *paene tragoedorum*, *sed supra omnes*, *quos ego audierim*, *tragoedos*. — — Sed hoc votum est et *rara felicitas*." Qui ipse locus docet, quo pertineat *vocis felicitas*. Cf. Ernest. p. 89. Diversa est autem *beata vox* XI, 3, 40.

quae sunt extra] sive quae pertinent ad *actionem*, de qua vid. ad §. 17.

privatis — publicis] sunt ablativi. Vid. ad §. 88. extr. Aliter comparatus est locus §. 77.

120. *si longior c. aet.*] Liv. XXXV, 15. „Id enim iam specimen sui dederat, ut *si vita longior contigisset*, magni iustique regis in eo indolem fuisse appareret." Cic. Brut. 35, 126. „Quam ille facile tali ingenio, *diutius si vixisset*, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus!" ibid. 81, 279. „qui *si diutius vixissent*, magnam essent eloquentiae laudem consecuti." Cf. supra §. 115.

atque adiiciebat] Attende vim imperfecti. Semper adiiciebat, neque tamen adiecerat, antequam moreretur. *Sp. atque* quum duas res aequa ratione componat et notionum seriem continuet, ideoque in iis ponatur, quibus ea, quae antea dicta erant, distinctius confirmantur, aut aliquid maioris momenti additur, critici docuerunt *atque* dici pro *atque adeo* et *immo*: quod improbari non potest, modo ne maioris rei indicium in particula expressum putemus. *Hand.* Turs. I. 407. Cf. quae de particula *et* ad §. 40. diximus.

virtutibus suis] Pronomen non additum erat in simili loco §. 116.

ut esset — pugnax] „*dass er weit kampflustiger seyn sollte.*" *Herz.* Mea quidem sententia haec enuntiatio e superioribus verbis „*Adiecisset — adiiciebat*" pendet. — *Pugnaces* erant qui semper *quaestionem*, *causam* vel *continens*, *iudicationem* intuerentur, nec cupiditate laudis utcunque acquirendae vel dicendi voluptate evagarentur, aut certe, si digressi fuissent, saltem respicerent, ne plausum

121 saepius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Ceterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum: ea est facundia, tanta in explicando quod vellet gratia, tam candidum et lene et speciosum dicendi genus, tanta verborum, etiam quae assumta sunt, proprietas, tanta in quibusdam ex periculo petitis

---

§. 121. *vellet*] Ita Tur. cum Alm. Sed Flor. *vellit*. Vulg. *velit*. Vid. annot. — *lene*] Tur. *levo*, a sec. m. *leve*, et sic Fl. Guelf. cum nonnullis edd.

---

affectantibus arma sibi exciderent. Cf. III, 11, 24. sqq. et supra §§. 33. 79.

121. *interceptus*] μεσολαβηθείς. Pleniore locutione Plin. Ep. X, 50. „intercepto rege mortalitate." August. conferri iubet Walch. ad Tacit. Agric. c. 5. p. 149.

in explicando quod vellet] *quoties explicavit quod vellet*. Praesens tempus, *quod velit*, ipsum quasi vivat ostendit. *Germ. explicare* h. l. non est *interpretari*, sed *verbis eloqui*, *exponere*, *effere*. „Quidquid scire vult auditorem, tam apte et decenter verbis eloquitur, ut nihil obscurum remaneat in magnis, nihil vile videatur in parvis." *Sp.* Cf. III, 6, 76. VIII, 6, 8. IX, 1, 24.

candidum — genus] Comparatur oratio rivo, ὕδωρ leuκὸν (Athenaeus II, 15.) habenti. Plura vid. ad §§. 73. 101. — De *leni* vid. ad §. 44. *leve* edidit Herzog., alienum esse *lene* arbitratus a *speciosо* et *candido*. At immemor fuit loci Ciceron. Orat. 16. 53. „Elaborant alii in *lenitate* et aequabilitate et puro quasi quodam et *candido genere dicendi*." Nisi forte ibi cum Lambino malit *levitate*. Nempe *lenitas* refertur ad sententias, *levitas* ad stilum artificem structuras verborum ac numerorum. Bene igitur Spald. *leve* plane sibi improbari dicit, cum hic nulla sit *compositionis* mentio, sed *vehementi* et *forti* opponatur *lene dic. genus*, velut XII, 10, 67. IX, 4, 130. 136. hic §. 44. Atque eo quaecunque mox laudentur in hoc oratore conspirare omnia: in assumtis proprietatem, in periculosis significantiam. Cf. 2, 23. et quae docte ac copiose disputavit Santenius ad Terentianum p. 239—250. — *speciosum* dici in laude et ad veram elegantiam referri, annotavit Frotsch., qui contulit II, 4, 32. VIII, 6, 29.

assumta] sive *arcessita* verba per translationem. Cf. 5, 8. Etiam quae bene translata sint, *propria* dici solere, auctor est Fabius VIII, 2, 10. Cf. ad §. 46.

ex periculo p. signif.] Vel audacissime novata in elocutione non carent perspicuitate. *Sp.* Periculum est autem, ne in nugas et dementiam abeat dicendi audacia. *Fr.* Perperam olim Schulz. in Proll. ad Tacit. Dial. p. XXXIX. (p. XXXVIII. ed. Dronk.) et nuper August. ad h. l. *ex periculo petita* intellexerunt *extemporalem quandam audaciam*, quod quominus probemus, et loci contextu et perpetua illa loquendi consuetudine impedimur, quam docuit Ernest. p. 280. Nec debebat August. provocare ad II, 11, 3. „Sed (opus

significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus 122
scribent magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.

Supersunt qui *de philosophia* scripserint, quo 123
in genere paucissimos adhuc eloquentes literae Romanae tulerunt. Idem igitur *M. Tullius*, qui ubique, etiam in hoc opere Platonis aemulus exstitit. Egregius

---

§. 122. *materiam*] Frotsch. ex uno Flor. Cod. *materiem*. At VIII, 6, 7. Ciceronis verba sunt *segetem ac materiem*. Quintilianum utriusque formae discrimen observasse vix animadvertas, quantum ex Codicibus constat (ut §. 128.). *Gernh.* Cf. II, 19, 8. — §. 123. *scripserint*] Deteriores libri *scripserunt*.

---

esse) sententiis grandibus, quarum optima quaeque *a periculo petatur*." Nam ibi cum eodem Ernesto intelligendae sunt sententiae, in quarum audacia et grandilate periculum sit et metus, ne ii qui his utantur, ausis excidant et ad frigus vel tumorem delabantur. Cf. II, 12, 5. VIII, 2, 20. 6, 11. XI, 1, 32. Senec. ad Lucil. Ep. 59. Plin. Ep. IX, 26, 4. Graecis *periculosa* illa vocantur παραχεχινδυνευμένα, παράβολα, τολμηρά, ἀκροσφαλῆ, ἐπισφαλῆ. Exempla nonnulla ex Euripide ridendi causa posuit Aristophanes Ran. v. 99. αἰθέρα Διὸς δωμάτιον, ἢ χρόνου πόδα. Quod autem oratori audere liceat, luculenter exposuit Plin. l. c. — De *significantia* v. ad §. 49.

122. *Sunt enim summa — ing.*] Florebat Aper, Marcellus, Maternus, Messala, Caecilius, Plinius et multi alii. Vide Tacitum. *Pseudo-Turnebus.* Vide Plinianas epistolas passim et L. IX. ep. 26. de summis ingeniis quasi scatentes. *Almeloveenus.*

veteribus aemulantur] §. 62. *aemulari Homerum.* Vid. Zumpt. §. 389. cl. §. 413. Grotef. §. 29. Inflexerant autem novi multorum verborum structuram, ut docet ipse Qu. IX, 3, 1. De significatione statim dicemus.

iuvenum ad optima tend.] Plin. Ep. VI, 11, 3. „Quid enim — mihi optatius quam me *ad recta tendentibus* (iuvenibus) quasi exemplar esse propositum?" Cf. ad §§. 44. 119.

imitatur ac sequitur] Plin. Ep. VII, 30, 5. „Quam (orationem) sane, quum componerem illos (libellos), habui in manibus, non ut *aemularer* (improbum enim ac paene furiosum), sed tamen *imitarer et sequerer*." ubi Gesnerus: „Verba satis alioqui vicinae significationis hic distinguuntur, ut *aemulari* studium exaequandi vel superandi adeo simul indicet, *imitari* autem is quoque dicatur, qui adspirare ad aequalem gloriam minime audeat, sed vestigia tantum magni viri adoret."

123. *etiam in hoc*] Leve sane in hac oratione vitium, quasi ubique

vero multoque quam in orationibus praestantior *Brutus* suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quae di-
124 cit. Scripsit non parum multa *Cornelius Celsus*, Sextios secutus, non sine cultu ac nitore. *Plautus* in Stoicis rerum cognitioni utilis. In Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor est *Catius*.
125 Ex industria *Senecam* in omni genere eloquentiae distuli propter vulgatam falso de me opinionem, quia

---

ponderi] Optimi codd. *pondere*. — §. 124. *Plautus*] Tur. Flor. *plaustus*. Sed Flor. a sec. m. *Plautus*, quod etiam Guelf. Ien. Bern. et edd. ante Ald. exhibent. Reliqui *Planeus*. — *cognitioni*] Sic Paris. 1. 2. 6. Goth. et Ambros. 2. cum edd. priorr. ante Stoer. excepta Bas. pro *cognitione*. Cf. §. 95. Obstare quodammodo Spaldingio videbatur §. 128. „*multa rerum cognitio*", quod secus esse dicit Herzogius, cum hic simpliciter *rerum cognitio*, nullo adiecto praedicato, memoretur. — §. 125. *quia*] Al. *qua*.

Platonis maxime aemulus sit Cicero. Sed hoc ut vitaretur longiore anfractu opus erat. Nempe ut ubique Graecorum praestantissimi cuiusque, ita in hoc opere Platonis. *Sp.* Cf. §. 108.

multoque] Repete *in hoc opere* (philosophia). Sententiae causa cf. Tacit. Dial. 21, 6—7. „Brutum philosophiae suae relinquamus. Nam in orationibus minorem esse fama sua, etiam admiratores eius fatentur." *Pondus rerum* contrarium est *venustati verborum*.

scias] scire et intelligere licet. *Wolff*.

124. *non parum multa*] *satis multa*. VI, 2, 3. „Fuerunt non *parum multi*. Cf. Cic. Planc. c. 7. et 30.

cultu ac nitore] Saepe haec duo vocabula ut synonyma iunguntur. Vide Ernest. p. 263. Dicuntur autem de ornatu et suavitate elocutionis. Apud Ciceronem Orat. 31, 115. *squalidioribus* dialecticorum praeceptis opponitur orationis *nitor*. Cf. supra ad §. 9.

125. *Senecam — distuli*] Sicut §. 75. Xenophontem dixerat non excidisse sibi, sed inter philosophos esse reddendum, ita h. l. significat se distulisse de Seneca loqui, cum, ut ait Badius, de quocunque genere eloquentium, qui oratori sint imitandi, loqueretur: et cum de poetis et cum de oratoribus et cum de philosophis Romanis. Haud dubie autem eum in extremo censu collocavit hoc consilio, ut pluribus et fusius de eo exponens melius diluere ac refutare posset vulgatam de se falso opinionem, cuius statim mentionem facit. Cum egregio hoc, quod iam lecturi sumus, de Seneca iudicio Spald. componi iubet Gellianum (XII, 2.), in quo et ipso accusetur Senecae protervitas in carpendis veterum scriptis.

quia — sum creditus] Nisi pro *quia* malueris *qua*, statuas necesse est haec verba praecedentibus explicationis causa subiici, ut convertendum sit *weil nämlich*. Cf. ad §. 84.

damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus ado- 126
lescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse, quibus illi place-

---

et invisum quoque] Guelf. om. *et*. Sed vid. ad §. 115.

---

dum — contendo] *Dum* significat tempus duabus rebus commune. Praesens autem, quod huic particulae fere subiicitur in narranda re praeterita, secundum Handium Turs. II. 506. aut historicum est aut imaginem rei ita adumbrat, ut quae coniuncta fuisse mente cogitemus, ante oculos ponantur consociata praesentia. Cf. Zumpt. Gr. §. 506 et 507. Grotef. §. 264. Exemplis ibi allatis adde Sueton. Caes. c. 4. Aug. 76. 99. Tib. 14. 51. 57. Vesp. 2. 24. Tit. 5. Domit. 10. 16. 17.

corruptum et — fractum] *Corruptum* proprie in primis appellatur quidquid in oratione ostentandi ingenii causa desciscit a veterum severitate. *Sp.* ad II, 3, 9. Omnino ea voce pravum rerum bonarum usum et quandam a recta ratione aberrationem atque excessum notare solet Fabius. *Ernest.* p. 99. Cf. §. 129. 2, 14. 16. Cic. Brut. 55, 202. al. — *fractum* hic intelliges *depravatum* et *corruptum*, ut *omnibus vitiis fractum* nihil fere aliud sit quam *in omni parte vitiosum*. Sic XII, 10, 78. est „*vitiosum et corruptum dicendi genus*, quod aut verborum licentia exsultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit" et quae sequuntur. Sed vid. etiam ad §. 130.

126. *fere*] Non converterim cum Herzogio *fast*, sed *gerade, eben*, ut discernatur Seneca ab omnibus aliis. Plane sic §. 96. „Horatius *fere* solus legi dignus." Nam recte Hand. Turs. II. 690. improbat sententiam eorum, qui vocabulis *fere* et *ferme*, quae forma tantum discrepant, rem vel numerum nonnihil imminui censeant et sententiam restringi eo modo, ut aut notioni alicui aut universo iudicio aliquid detrahatur. Cf. supra §. 9. „*Omnibus* enim *fere* verbis *praeter pauca* — in oratione locus est." ubi vel adiecta verba *praeter pauca* interpretes docere poterant, de imminuto numero non esse cogitandum. Ex praeceptis Handii p. 699. *fere omnes* aut significat *plerumque omnes*, de rebus solitis et consuetis et uno modo factis (*in der Regel, gemeiniglich*, cf. 3, 18. 5, 21.), aut cum affirmatione *eben alle*, aut cum indicio magni numeri *ziemlich allè*. Cf. mox §. 128. Id quod fieri solet significat *fere* infra 7, 20. et 27., quo utroque loco cum negatione vel negativa voce iunctum est. Cf. Hand. p. 695. Sed cum affirmatione dictum videtur supra §. 80. in vv. „ultimus est *fere*", ubi Herz. interpretatur *ziemlich*.

excutere] Ex antecedd. repete *e manibus adolescentium*.

rent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur: tantumque ab eo defluebant, quantum
127 ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares ac saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat: deinde cum se iactaret eodem
128 modo dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam
129 omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes eius et poemata et epistolae et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum

---

§. 127. *enim optandum*] Tur. Fl. Alm. interserunt *aliquid*, in quo Spaldingius latere putabat *alioqui*. Sed quum *est aliquid* idem sit quod *non contemnendum est*, Heraogius malit *optandum* proiicere tanquam interpretamentum. — *ac saltem*] „*ac* Frotsch. recte vidit restituendum esse ex Tur. Fl. Guelf. Camp. Goth. Iens. Voss. 2. 3. cum ed. Col. (1527.) et edd. ante Bad. Spald. cum reliquis *aut*, quo posito insolens est *saltem*, quod quodammodo latet in *aut*." *Gernh. ac* etiam Par. 1. 2. 6. Amb. 2. exhibent. De mutatione verborum *ac et aut* vid. Hand. Turs. I. p. 512. — §. 128. *multa rerum*] Al. *multarum rerum*. — *omnem*] Nonn. *omnium*.

---

defluebant] *in peius descisebant*, *degenerabant*. I, 8, 9. „quando nos in omnia deliciarum vitia — *defluxerimus*" (al. *deflexerimus*), ubi Gernhardus: „*Defluunt* in vitia nescii, vel prae mollitie, *deflectunt* a recta via propter temeritatem." Cf. Cic. Tusc. I, 25. „A necessariis artificiis ad elegantiora *defluximus*." Sequitur *descenderat*, egregia, ut ait Spald., proprietate verborum.

127. *ad ea*] ac. *vitia*. Hoc enim dicit: *Ex multis illis vitiis Senecae ea quisque imitari studebat, quae poterat*. Similis quaedam sententia est apud Ciceronem Orat. 51, 171. „Hos vero minime (laudo), qui nihil illorum nisi vitium sequuntur, quum a bonis absint longissime."

deinde cum] *und wenn dann*. Vid. Hand. Turs. II, 243. *cum* temporale, ubi rem saepius factam indicat, coniunctivum aut imperfecti aut plusquamperfecti, servato scilicet horum temporum discrimine, sibi adiungere potest. Sic 7, 14. „*cum* id *evenisset*." Cf. Zumpt. §. 569. et 570.

129. *vitiorum insectator*] Gellius XII, 2. eidem in vitiis morum obiurgandis severitatem gravitatemque non invenustam tribui refert.

insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio 130
dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contemsisset, si parum [non] concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fre-

---

§. 130. *si parum non concupisset*] „Spald. *parum* interpretatur accusativum, ut mihi quoque visum est, *quod non est satis*, h. e. *exile, minutum*. Buttm. p. 712. post *parum* excidisse putat *concupiscenda* seu *convenientia*. Censor Ien. Quint. Spald. p. 243. accusativum *parum* ad multitudinis gratiam refert, coll. Tac. Ann. XIII, 3. Sarpe in Epist. p. 17. coniicit *parva aut prava*, aut *plura*. Frotsch. in Excurs IV. Spaldingium sequitur. *Non*, e sequenti tertia et quarta conditione huc translatum, delevit Gron. cum Burm." *Gernh.* Zumptius ex emendatione Madvigii dedit *si partem non concupisset*. Baden revocandum putat *si parum concupisset* et *parum concupiscere* interpretatur *non intemperanter*, cl. Nep. Attic. 13.

---

morum gratia] Diderot in Essai sur la vie et les écrits de Senèque I. §. 127. p. 338. „L'antiquité ne nous a point transmis de cours de morale aussi étendu que le sien." et p. 340. „Les ouvrages de ce philosophe peuvent être regardés comme le cours de morale le plus complet, le plus utile, le plus capable de rendre les hommes bons, humains; de leur inspirer l'amour de l'ordre et de la vertu, la constance dans l'adversité, le mépris de la douleur et de la vie, le courage qui fait supporter l'une et qui fait quitter l'autre sans regret, quand l'arrêt irrévocable de la necessité l'exige."

130. *alieno iudicio*] ita ut aliorum *sequeretur iudicium*.

si aliqua] *Si aliquando, si aliquis* etc. *differunt a si quando, si quis* etc. eo quod plena vocabula ponuntur, quando in iis vis inest et *nunquam, nemo, nullus* vel *multi* opponi potest. *Si quando autem* et *si qui (quis)* ponuntur, quando conditio tantum spectatur. *Matth. ad* Cic. Catil. IV. 10, 20. Accuratius in *significationis discrimen* inquisivit Hand, Turs. I. 259. sqq. Cf. infra ad 6, 5. Beneche Cic. Catil. p. 296. Zumpt. ad Verrin. p. 894. sq.

minutissimis sententiis] Non diversi esse videntur „*minuti corruptique sensiculi*", qui memorantur VIII, 5, 14. Cf. Gell. VI, 6. „Quaerebantur non gravia et reverenda, sed ἐνθυμήματα quaedam lepida et *minuta*.." *Minuta* rhetores dixisse quae haberent tenuitatem, subtilitatem vel exilitatem, magis elegantiae et concinnitati sophistarum et philosophorum quam gravitati et amplitudini oratorum aptam, docet Ernest. p. 255., comparato Cic. Brut. 95, 287. „Quid est tam *fractum*, tam *minutum*, tam in ipsa — concinnitate puerile?" Cf. not. seq.

fregisset] *Fractum* dicendi genus apud Ciceronem appellatur, in quo sint sententiae minutae, nimia concinnitate concisae, compositae

gisset: consensu potius eruditorum quam puerorum
131 amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis et severiore genere satis firmatis legendus vel ideo, quod exercere potest utrinque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt; eligere modo curae sit: quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae quod voluit effecit.

CAPUT II.

DE IMITATIONE.

1 Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea, quae
2 bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae

---

§. 1. *copia est et*] Tur. Flor. Camp. Goth. Iens. omittunt *est* cum edd. ante Ald.

---

verborum et iunctura mollior, nulla amplitudo, nulli graviores numeri, sed omnes ad nimiam elegantiam comparati. A Quintiliano autem ad genera orationis corruptae hoc etiam refertur, ut sit *compositione fracta*. Quo imprimis pertinet quod de Senecae genere dicendi X, 1, 130. iudicat: „pondera rerum minutissimis sententiis fregit." *Ern.* p. 179. sq. Cfr. quae de *inclinandi* verbo diximus supra §. 80.

131. *utrinque*] *ab utraque parte*, i. e. *et virtutibus et vitiis*. At Badius interpretatur: *tam laudantium quam vituperantium*, eumque secuti sunt Spald., Frotsch., August.

CAP. II.

1. *ad exemplum — dirigenda*] Aberravit a loci sententia Herzog., qui sic convertit: *dann muss sich der Geist nach dem Vorbilde aller ihrer Vollkommenheiten zu richten suchen*. Nam *mentem dirigere ad aliquid* idem est quod *mentem intendere in aliquid*. Cf. 3, 28. et 1, 127. et 2, 27.

2. *Atque omnis*] *Atque* cum verbo *omnia* saepe componitur, quod non fit sine causa. Inest enim vis collectiva, quae omnia aequaliter

ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur: omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. Et hercule necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem omnium facit quam fuit iis, qui

---

§. 3. *hercule*] Sic optimi codices pro *herele*. Vid. ad 1, 86. — *omnium*] Quod multi addunt *rerum*, meliores codd. non agnoscunt. — *apprehenditur*] Camp. et Paris. 1. 2. 6. *apprehendatur*.

---

complectitur. Simili modo nos loquimur *und so überhaupt*. *Hand*, Turs. I. 500. Cf. infra 3, 20.

in exemplum] i. e. *loco exempli*. *Wolff*. *ut id sibi exemplum proponant*. Saepe argentea aetate *in* cum accus. integri enuntiati vices sustinet. Vid. Walch. Tacit. Agr. p. 168. *August*. Infra §. 11. est „*in exemplum assumere*." Quae Herzog. de dictione *intueri in (ad) aliquid* annotavit, aliena sunt ab hoc loco, quo est *intueri aliquid*, ut §. 26. 1, 9. 7, 11. 16.

initia] non magis hic quam infra 3, 9. cum Sarpio et Gernhardo intellexerim *elementarios s. eos quibus elementa traduntur*. Quanquam haud infitior, illud metonymiae genus, quo nomen aliquod abstractum pro concreto, quod vocant, satis frequens esse apud Quintilianum. Cf. I, 3, 26. II, 4, 9. 18.

praescriptum] Haec vox propria est de ludimagistris, qui pueris aliquid discendum proponentes praescripta eis dant, quae imitentur. Sic Seneca Epist. 94. „Pueri ad *praescriptum* discunt: digiti illorum tenentur et aliena manu per literarum simulacra ducuntur." Cf. Schol. ad Horat. Od. II, 15, 10.

3. *necesse — simus*] In hoc verborum ambitu σχηματισμόν quendam reprehenderis.

omnium rationem] noli cum Herzogio transferre *die Methode Aller*, sed *das Verfahren in Allem*. Est enim *omnium* neutrius generis, ut §. 23. „*quorum omnium* — ratio."

tanto — quam] Haec sibi saepe respondere, exempla docent apud Ruhnk. Terent. Hecyr. III, 4, 3. Ita τόσσον — ὡς Hom. Od. IV, 104. *Aug*. Minime haec sibi respondent, sed *quam* solum comparativum spectat, ante quem salva constructione *tanto* vel cum *aliquanto s. multo* commutari vel plane omitti potuit: ex quo ipso intelligere licet, verborum *tanto — quam* nihil esse communionis. Cf. infra §. 28. Homericus locus huc non pertinet.

nihil quod sequerentur habuerunt, nisi caute et cum iudicio apprehenditur, nocet.

4 Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quae sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod iam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inven-
5 tum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis,

---

§. 4. *quae sint*] Sic Tur. Fl. Reliqui *sunt*.

---

4. *Ante omnia*] dicitur et de primâ re, aliis omnibus antecedente, et de re praecipua atque ob dignitatem et vim suam primaria. *Hand.* Turs. I, 388. Haec forma frequens est in enumerandis argumentis vel capitibus, cum primum ponitur. *Spald.* ad IV, 2, 4. Sic I, 2, 9. II, 15, 1. IV, 2, 40. 52. IX, 1, 23. Cf. infra 7, 6. Alibi est *primum omnium*, ut V, 13, 6., quem locum indicavit Frotscher., qui idem admonet formulae *ac primum quidem*, *καὶ πρῶτον μὲν οὖν*. Praeter enumerationem *ante omnia* = *primum* erat 1, 3. et iterum legitur 8, 3.

per se ipsa] i. e. si sola spectetur. Nam *per se (sese)* valet *vi sua atque natura; sic ut nullius rei accessione vel adiumento indigeat. Beier* ad Cic. Off. II, 12, 42. Cf. infra §. 13. „*per se* soni tantum sunt." Eandem vim simplex *ipse* habet 8, 21. 23.

quid — futurum erat etc.] Sic §. 7. „quid *erat futurum*, *si* nemo plus *effecisset*." Liv. II, 1. „quid enim *futurum fuit*, *si* illa — plebs — agitari *coepta esset*." et XLI, 24. „Divinat etiam quae *futura fuerant*, *si* Philippus *vixisset*." Quibus locis indicativus eventum ut certum et tanquam non pendentem ex proposita conditione significat. Vid. Matth. ad Cic. Cat. III, 9, 23. et Manil. 17, 50. Beier Off. I, 9, 28. p. 65. et II, 1, 2. p. 11. Zumpt. §. 519. cl. 546. Ramsh. p. 584. sq. Krüger, Untersuchungen etc. II. p. 358. sqq. Adde annot. ad 1, 62. — *illis temporibus* idem valet quod *antiquis illi. temp.* Cf. 1, 40. „ab *illis* quoque *vetustissimis* auctoribus." Cic. Div. 8. „*illam veterem* iudiciorum vim." Brut. 35. „non *antiquo illo* more, sed *hoc nostro* fuit eruditus."

Nempe] *doch wohl*, quodammodo est interrogativa particula, qua significamus, quod ipsis sit nobis persuasum, id alios quoque esse concessuros: unde fit, ut persaepe propositae interrogationi subiiciatur. Cic. p. Lig. 3. „Apud quem igitur hoc dico? *Nempe* apud eum, qui" etc. Adde Brut. 3, 14. et 6, 21. Tusc. V, 5. Liv. V, 51. et VI, 41. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 10, 1. Weber, Uebungsschule etc. p. 3. sqq. Grysar. Theorie etc. p. 553. sqq. — De sententia huius loci Frotsch. comparavit Liban. Declam. XVIII. p. 487. *Εἰ δ' ἀεί τινος ἔδει παραδείγματος, οὐκ ἂν ἀρχὴν οὐδὲ ἓν ἐλάμβανεν.*

5. *nefas*] Ut hic *nefas*, sic *fas* §. 9. ad *fatum* quoddam sive aeter-

quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent, nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos, qui quaesierunt? Et cum illi, 6 qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum

---

§. 6. *tradiderint*] Tur. Fl. Guelf. Camp. Par. 1. 2. 6. cum Iens. Tarv. Ald. *tradiderunt*, quod Gernhardo cum acerbitate insequentium verborum magis videtur convenire. Paullo ante Iens. Tarv. Ald. *habuerint.* — *aliarum*] Tur. Fl. *aliorum.* In iisdem deest *usus.* Edit. Locat. et posterior. multae *illarum.*

---

nam legem refertur, qua perfectiones rerum possibiles (φιλοσοφητέον γάρ) determinantur, h. e. qua si quidam fines rebus earumque virtutibus assignantur, ultra quos ascendere per conditionem suam illis non liceat. Sic XI, 3, 181. „Neque illud tamen est *nefas.*" Simile mox 2, 26. „Totum exprimere paene homini *inconcessum.*" Et quoties *licet* ita ponitur. *Gesn.*

An] et *an vero* oratores usurpant saepe in ea sententia, in qua novum argumentum superioribus addituri a re certa et confessa ad rem respiciunt dubiam et negatam, sed illi similem, ut ad comprobandam alteram ex altera prior fiat conclusio. Logici vocant argumentationem a minore ad maius. Eundem sensum nos exprimimus vernaculis verbis: *oder aber sollte jenes Statt finden, und dieses nicht?* Requiruntur igitur res aequales vel aeque possibiles, quarum ne altera dubia videatur, quaeritur, quomodo fieri possit, ut ea non existat, quae aequo vel maiore adeo iure locum teneat et eiusdem sit rationis. Altera re concessa concluditur alteram secundam etiam veram esse. Attamen hoc ipsum non significatur vocabulo *an*, quod modo indicat, haec quae dicuntur aliis praemissis opponi sive ex iis tanquam contraria colligi. Etenim non posito *an*, idem exprimitur verbo *ergo.* vid. Cic. Tusc. I, 14, 31. Beier. ad Cic. de Off. I, 31. p. 245. Coniunctio utriusque sententiae autem ea est, qua duae res causae vel rationis nexu ita cohaerentes, ut in eo explicando adhiberi possit *quum* vel *si* (cf. statim §. 6.), aequo loco et ἐκ παραλλήλου componuntur. *Hand.* Turs. I, 349. Cf. infra 3, 29. II, 5, 16. V, 12, 21. VI, 2, 30. XI, 2, 38. XII, 1, 21. Ne vero putes ubique negativam fieri oppositionem; vid. Cic. Cat. I, 1, 3. Liv. V, 52, 8. In secunda sententiae parte plerumque ponitur futurum (cf. §. 6.) vel coniunctivus, etiam interposita conditionali sententia; sed indicativo quoque praesentis locum esse, Hand. p. 352. duobus docuit exemplis, quae exstant apud Cic. p. Planc. 20, 49. et ap. Plin. Ep. VIII. 12, 3.

generarent] eleganter dicitur de iis, qui aliquid non aliunde petant, sed excogitent atque inveniant ipsi. Cf. I, 1, 36. 12, 12. VI, 2, 3. VIII, 6, 32. IX, 4, 114. cum Spaldingii annot. Cf. Brem. ad Suet. Ner. 52. Graece dicitur γεννᾶν. vid. Aristot. Poet. c. 4.

certe scimus] Praeter antiquos scriptores nemo facile vocabulum *certe* non ad iudicium conformandum adhibuit. Sunt tamen dictiones

ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus, nisi beneficii alieni? Quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensu-
7 ris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat

§. 7. *Nam rursus*] Tur. *rursus nam*, ut §. 13. *et cum* pro *eum et.*

quaedam; in quibus utraque forma [*certe* et *certo*] locum habet, ideoque in libris scriptis saepissime confunditur. Ita recte dicitur *certe scio*, quod significat *certum est me scire* et aliquantum differt a verbis *certo scio*, i. e. *certa est mihi notitia rei. Hand.* Turs. II, 18. Add. Stuerenburg. ad Cic. pro Arch. p. 191. sqq. Klotz. ad Cat. mai. p. 73. sqq. Zumpt. ad Verr. Act. II. lib. I. §. 1.

6. *aliarum — alias*] Spaldingio usus notissimae locutionis *aliarum alias* hic quidem non bene procedere videtur, ubi nonnisi bipartita divisio intelligatur, ut novae res ex prioribus illis eruantur, non *alias ex aliis*: quod si peteretur, positum talem ait decuisse: *rerum aliarum ad alias eruendas usus.* At talis positus valde foret obscurus, quippe quo v. *usus* nimis longe a genitivo *rerum* removeretur. Non magis concedo viro doctissimo, bipartitam hic intelligi divisionem, quum vv. *aliarum rerum* non necesse sit de solis priscorum hominum inventis intelligere. Quam multa enim post illorum rudium hominum aetatem, qui nullum cuiusquam rei habuerant magistrum, inventa erant et in posteros tradita, quibus Fabii aequales uti possent ad alias res eruendas!

nisi beneficii alieni] i. e. *nisi quod sit beneficii alieni* s. *quod debeamus aliis.* Genitivum accommodatum esse antecedenti *nihil* sponte patet.

in id — student] Insolentioris huius structurae causa in pronomine est quaerenda.

ut — sciant] Tantum verborum opus fuit, ut genus hominum significaretur, quod nos nunc, huic quidem rei iusto plus tribuentes, soloeco vocabulo *copistas* vocamus. *Zumpt.*

7. *Turpe etiam*] Turpe est nil invenire velle (vid. praecedd.), turpe etiam illud est, non vincere eum quem imiteris. Duo igitur postulantur: primum ut ipse aliquid invenias, deinde ut quae imiteris aliorum inventa amplificare et perfectiora efficere studeas. *Frotsch.*

contentum esse consequi] Similis constructio est I, 4, 23. „non erit *contentus tradere.*" Cicero et eiusdem scriptores aetatis dicere maluissent *non satis habebit tradere.* Cf. VI, 2, 23. XII, 11, 23. *Fr.* Plin. Ep. VI, 31, 6. „quasi *contentus* aemulum *removisse.*" Ibid. I, 5, 8. absolute dictum „nec *contentus* pervenit ad Spurinnam."

Nam rursus] Quemadmodum §. 4., quo respicit *rursus*, illi sententiae „*Ante omnia — inventa*" causalis subiiciebatur enuntiatio „*Quid enim — futurum erat*" etc.: sic h. l. novae sententiae „*Turpe etiam*" etc., in qua „*etiam*" respondet superiori „*Ante omnia*", hoc rationem reddit enuntiatum: „*Nam rursus*" etc. Iam vide, quid

erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? Nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra pontificum annales haberemus: ratibus adhuc navigaretur: non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla 8 sit ars, qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. Nihil autem

§. 8. *nihil crescat*] Quum Tur. sequens *Nihil* omittat, Spald. haec verba transposuit.

quid statuas de Herzogii scriptura: *Rursus, nam quid erat fut., si n. pl. eff. eo, quem sequebatur? — nihil* etc.

plus — eo] Eodem verborum ordine §. 11. „*minus* sit *eo quod* imitatur." Vid. Grotef. §. 365. 2. Sic arctissime iuncta invenies pronomina *is qui* 1, 67. 98. 101. 122. 2, 1. 3. 5. 11. 12, 15. 23. al.

in poetis] Malim prope *poesi* prae *poetis* in loco nostro. cf. X, 1, 29. *Sp.* Imo ne ferri quidem potest *poesi*. Nam variandae orationis studio Fabius *poetis* opponit *historias*, sicut *Livio Andronico* non *pontifices* ipsos, sed *annales pontificum*. Ceterum patet, verbis *Nihil — Andronicum* significari *nullum poeturum Livio Andronico praestantem*. — De pontificum annalibus cf. Cic. de Orat. II, 12, 52. et quos ibi laudat Henrichsen. Bähr. Gesch. d. Römisch. Litt. p. 250. sq. Bernhardy. Grundriss. p. 74.

pictura — circumscriberet] Plin. Nat. Hist. XXXV, 5. „De picturae initiis incerta — quaestio est. Aegyptii sex millibus annorum apud ipsos inventam prius quam in Graeciam transiret affirmant vana praedicatione, ut palam est; Graeci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes *umbra hominis lineis circumducta*." Cf. O. Müller. Archaeologie p. 50.

8. *nulla sit ars, nec stetit*] In altero membro asseveratio est nuda et simplex: *nec* (ulla ars) *intra initium stetit*. Accedit quod *nec* particula h. l. inservit explicandis prioribus, ut dicere liceat *id est non*, plane ut apud Cic. Arch. Poet. c. 1. „quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii *neque* haec dicendi ratio vel disciplina." *Fr.* Frequentant iuprimis Graeci tales modorum enallagas sive mutationes, quarum causae in cuiusque loci ratione sunt quaerendae. Vid. Boeckh. in Plat. Min. p. 62.

nisi forte] ab absurdo argumentatur. *Wolff.* Vid. ad c. 1, 70. Omisit autem Fabius brevitatis studio ductus conclusionem, ex antecedentibus id quod consequatur conficientem. Nam verba *nisi forte — crescat* talem spectant sententiam: *ergo plus possumus efficere iis quos sequimur*.

„*infelicitatis*] Imago ab agris *infelicibus* i. e. *sterilibus* petita. Cf. Plin. Ep. VI, 21, 1. „Non tamen, ut quidam, temporum nostrorum

12 positum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes; quia in illis vera, in his assimulata materia est. Adde quod ea, quae in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inventio, vis, facilitas et quidquid 13 arte non traditur. Ideoque plerique, cum verba ex

---

accommodatur. Quo fit, ut — habeant] De Spaldingii coniectura Zumptius „*accommodat quod facit: ut — habeat*" edidit, neque aliter Frotscher.; nisi quod *accommodatur* retinuit. Et quae *quod facit — habent* in optt. codd. comparet. — §. 12. *inventio, vis*] Quum in multis libris inveniatur *inventionis*, Herzog. *inventionis vis* scribere ausus est. — §. 13. *Ideoque*] Recentiores editores cum Tur. Flor. Alm. *Ideo*, qua simplici voce dubito num Qu. usus sit usquam in iungendis sententiis. Vid. ad 1, 12. Hac ipsa sectione idem Tur. *invalescant* et *proprie*, bis omissa enclitica *que*.

---

non quod placebat Frotschero, *facta*, opponitur superioribus *natura et vera vis*. Ceterum cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio, iudice Plinio Ep. IV, 28, 3. ubi vid. Ernest.

12. *in illis — in his*] Refertur quidem h. l. *ille* ad id nomen, quod proxime praecedebat, *orationes*, *hic* ad remotius illud *declamationes:* sed tenendum est, haud raro id ipsum, quod in oratione remotiorem occupet locum, menti scriptoris esse propinquius et magis praesens. Sic nostro loco proprie de *declamationibus* agitur, non *orationibus*, ut quae non memorentur nisi propter accuratiorem expositionem. Cf. Grysar. p. 82. — *Declamationes* sunt forensium actionum meditationes. Vid. IV, 2, 29. V, 13, 17. et infra 5, 14.

Adde quod] attende ter positum brevissimo intervallo (cf. X, 1, 23.); sed hoc fortasse consulto. *Sp.*

vis] significat omnem virtutem oratoriam quae inventione, acumine, spiritu et vehementia dicendi continetur, et maxime argumentando, persuadendo commovendisque animis se exserit. Ab ea differt facultas eloquendi, quae maxime figuris orationis et elocutionis virtutibus cernitur. *Ernest.* ad Plin. Ep. I, 2, 2. Cf. Quint. VIII, 3, 88. et supra ad 1, 76.

facilitas] Quum Fabius h. l. *facilitatem* in virtutibus oratoris non imitabilibus numeret, facile intelligitur, eam ad bona naturae referendam esse et hanc maxime vim habere, ut in omnibus, quae quis oratione exsequitur, nulla solicitudo, nulla molestia, nulla difficultas, et virium magna operosaque intentio appareat, eine gewisse natürliche Gewandtheit und Leichtigkeit in Erfindung, Behandlung, Bewegungen, Stimme und Vortrag, welche jede Idee von Anstrengung und mühsamer Künstelei ausschliesst. *Ernest.* p. 163. Cf. XII, 10, 77.

13. *cum verba — exterpserunt*] Herzogii interpretationi „wenn sie wörtlich Stellen aus Reden ausgezogen haben" non sequantia

orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quae legerunt effingi arbitrantur: cum et verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala: nam per se soni tantum sunt: sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt: et compositio cum rebus accommodata sit tum ipsa varietate gratissima.

Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem 14
studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur: nam sunt plurimi, qui similitudinem pes-

---

„cum et *verba intercidant*" etc. conveniunt nec locus apud Sueton. Aug. 86. „ita ut *verbis*, quae Crispus Sallustius *excerpsit* ex Originibus Catonis, utaris" ubi nemo cogitabit de *totis locis ad verbum* excerptis.

compositionis — pedes] i. e. *numeros*, qui *verbis* opponuntur §. 16. et 3, 17. Cf. IX, 4, 60. „Ratio vero *pedum* in oratione est multo quam in versu difficilior: primum quod versus paucis continetur, oratio longiores habet saepe circuitus; deinde quod versus semper similis sibi est et una ratione decurrit, *orationis compositio*, nisi varia est, et offendit similitudine et affectatione deprehenditur."

et verba] Opponitur in extrema sectione *et compositio*. De sententia cf. VIII, 6, 32. „cum multa quotidie ab antiquis ficta *morianiur*. Horat. Ep. ad Pis. v. 70. „Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, quem penes arbitrium est et ius et norma dicendi." — *invalescere* est *magis in usum venire*.

consuetudine] Opponitur *consuetudo* saepe *rationi* et *scientiae*. Cic. Orat. 74, 258. „adhibenda, tanquam obrussa, *ratio*, quae mutari non potest, nec utendum pravissime *consuetudinis regula*."

sed prout] i. e. sed bona aut mala sint, prout etc. *Fr.* De seq. *proprie* et de tota sententia cf. 1, 9.

compositio — sit] IX, 4, 126. „*rebus accommodanda compositio*, ut asperis asperos etiam *numeros* adhiberi oporteat." cf. ibid. §§. 130. et 133. Ostendit autem praeteritum *accommodata sit*, intelligi *compositionem* eorum quorum orationes in exemplum assumuntur. Turbat orationem Herzog. sic convertens: „theils *insofern* ihre Verbindung [malim *der Periodenbau*] dem Inhalte angemessen ist."

14. *exactissimo iud.*] 7, 30. memorantur „*exacti* commentarii." Francogallicum *exact* eadem significatione etiamnunc frequentari, annot. Spald. ad I, 5, 2., ubi *exigere* interpretatur *perficere s. praestare tale quale debet*.

quos imitemur etc.] Idem sentit Plin. Ep. I, 5, 12. „Est — mihi cum Cicerone aemulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri. Nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere."

simi cuiusque et corruptissimi concupierunt: tum in ipsis, quos elegerimus, quid sit ad quod nos efficiendum comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius quam peius dicant. Nec vero saltem iis,

---

§. 15. *dicant*] Sic Frotsch. ex opt. codd. et edd. adsent. nunc etiam Paris. 1, 6. Ambr. 2. Recepit etiam nuper Gernh. Ratio haud dubie in eo sita est, quod illa *optantis* conditio, quam significat *utinam*, non magis ad prius quam ad posterius enunciationis membrum pertinet. *Herz.* Zumptius servavit *dicunt*. Idem mox verba „*saltem — fuit*" parentheseos signis inclusit.

---

effiendum] i. e. *effingendum*, quod erat §. 13. et 2, 127. Cf. 3, 4.

15. *in magnis — auctoribus*] Frotscher. ut accuratum verborum delectum demonstraret, Quintilianum notavit dixisse *in magnis quoque auct. inoid. aliqua vitiosa*, non *apud auctores*, propterea quod *in* non poni potuisset, nisi ubi hominis vel scriptoris aliquod vitium aut quaedam virtus significaretur: contra ubi sermo sit de scripti aliquo loco, dicendum esse *apud*. At praeterquam quod Qu. tenuit rationem verbi *incidere*, ista vitiorum et virtutis notatio non propria indicatur praepositione *in*, sed res de qua sermo est refertur ad personam. Quare id potius quaeritur, num veteres nomine scriptoris scripta eius insignierint. Idque non fieri poterat nisi omnia scripta alicuius auctoris uno nomine comprehenderentur. De uno certo scriptorum loco et de libris ipsis qui loquitur, aut *apud* usurpat aut *in* addit nomini libri. *Hand.* Turs. I. p. 409. sq. *Apud* sic legebatur 1, 25. et 39. *in* 1, 76. et 96. — De loci sententia cf. 1, 24.

inter ipsos — mutuo] i. e. alter alterum mutuo reprehendebat. *Fr.* Omitti poterat *mutuo*, cui adverbio non alia inest notio quam verbis *inter ipsos* i. e. *untereinander*, *gegenseitig*, quod Graeci ἐν ἀλλήλοις vel πρὸς ἀλλήλους dicunt. Praecipit autem Ruddimann. T. II. p. 55., si praepositioni *inter* praecedat nominativus aut accusativus, non *inter ipsos*, sed *inter se* dici; post ceteros casus obliquos modo *inter se*, modo *inter ipsos* inferri. Cic. de Off. I, 7. „societas hominum *inter ipsos*." Ibid. c. 16. „Latissime hominibus *inter* ipsos societas haec est." c. 17. „Multa sunt civibus *inter se* communia." Terent. Adelph. V, 1, 17. „Communia esse amicorum *inter se* omnia." Cf. infra §. 23. „diversarum *inter ipsas* conditio." et ibid. „quorum omnium dissimilis atque diversa *inter se* ratio est." Adde 1, 14. 22. IV, 2, 13. VIII, 6, 1. — *Mutuo reprehensorum* exemplum est VIII, 3, 31., quod indicavit Spald.

saltem] cum negatione iunctum apud Quintilianum saepe esse pro *ne — quidem*, docuit Spald. ad I, 1, 24. cl. ibid. §. 31. V, 1, 3. VI, 2, 19. 4, 15. X, 2, 15. XII, 11, 11. Equidem nostro loco *saltem iis* interpretari malim: *si non omnibus, at iis certe*; quomodo intellexit Forcellinus in Lex. Lat. v. *saltem*. Cf. 7, 20. Cum Spaldingio facit Frotscher.

quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere et solam, ut sic dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem his accidit, qui 16
non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt, et cum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro

---

imaginem virtutis] i. e. speciem tantum virtutis, non ipsam virtutem. Cf. §. 16.

cutem] Gellius XVIII, 4. „Neque primam tantum *cutem* ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum eruere."

Epicuri figuras] De placito Epicuri simulacra et idola e summis corporibus effluere statuentis, quae oculos pellerent et ita visionem efficerent, vid. Lucret. IV, 48. sqq. et Gell. V, 16.

e summis corporibus] Similiter 7, 28. „*summum solum.*" Cf. 9, 2. „profectus a *summo* petitus."

16. *vim dicendi*] hic intellige *intimam rationem et virtutem elocutionis.*

fiuntque — negligentes] Congrua huic loco quaedam leguntur XII, 10, 80. „Sic erunt magna non nimia, sublimia non abrupta, fortia non temeraria, severa non tristia, gravia non tarda, laeta non luxuriosa, iucunda non dissoluta, grandia non tumida." De *grandibus* v. ad 1, 65. — *Tumidi* sunt sublimitatis perperam studiosi v. Ernest. p. 408. sq. — *Exiles*, qui opponuntur *pressis* (v. ad 1, 44.), etiam *aridi* et *exsangues* dici solent v. Ernest. p. 158. sq. — *Fortes* Wolfio sunt qui gravioribus uti audent verbis, figuris, compositione, sententiis, ideoque breviores ac simpliciores sunt, nec tamen temerarii omni carent ratione. — *Laetis* (v. ad 1, 46.) opponuntur *corrupti*, qui ubertatem orationis ita cupide sectantur, ut in proximum huic virtuti vitium incidant. v. Ernest. p. 99. et ad 1, 125. — *Exultantes* ex Wolffii interpretatione sunt qui in compositione modum excedunt, ut lascivior iustoque audacior fiat et magis mollis et fracta quam gravis et virilis. Cf. II, 4, 9. et VIII, 3, 56. Fuit qui in eorum quae opponerentur ratione aliquid turbatum esse ratus, scribendum censeret *laetis exultantes*, *compositis corrupti*. „Quod quamvis", inquit Zumptius, „primo aspectu blandiatur, redarguitur tamen explorato veterum magistrorum usu verborum quasi technico. Nam *sultare* et *exultare* oratio non dicitur laetitiae causa, sed numeris ad poetarum rhythmos propius quam prosae par est accedentibus (cf. Ernest. p. 340.), eique vitio recte opponitur virtus orationis *compositae*. Siquidem Qu. IX, 4, 116. quem in poemate, locum habeat *versificatio*, eundem ait in oratione habere *compositionem*. Porro cum *laetum* di-

grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exultantes, simplicibus
17 negligentes. Ideoque qui horride atque incomposite quamlibet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis,

---

§. 17. *quamlibet*] Al. *quam (qui, quid) licet* vel *quidlibet*. Herzog. *quid, licet*, quae scriptura vel propterea improbanda, quod *licet* nusquam sine verbo finito ponitur. — *Atticis scilicet*] int. *si pares credunt*. Frotschero placet quod Spald. excogitavit *Attici sunt scilicet*, cum Guelf. Voss. 1. 3. et Bern. haberent *Attici scilicet*, quod nescio an satis sit. In Tur. (a sec. m.) Voss. 2. Camp. (omisso *scilicet* cum Goth. et Bad.) Obr. *Atticos scilicet*, quod semicolo ante *qui* posito ad seq. *superant* referas. Gernh. Illud *qui*, ad quod intelligendum *sunt*, eiici malebat Spald.

---

cendi genus illud sit, quod floribus luminibusque sententiarum etiam delectare velit, ex ea virtute vitium fit, si praeter delectationem nihil aliud petitur inanibus flosculis et puerilibus sententiolis. Atque hinc, sicut hominum mores *corrupti* dicuntur, quibus nihil honestum propositum sit, ita dicendi quoque genus *corruptum* appellatur, quod idem est *lasciviens* et *luxuriosum*. Et *laetis luxuriosa* opponit Qu. XII, 10. etc." — *Negligentes* dicuntur qui repudiant orationis ornatum, in quo requiritur cura et apparatio et diligentia: ideoque *ornate* et *negligenter dicere* opposita habes apud Cic. de invent. I, 21.

17. *horride*] *Horrere* omnino dicuntur quae cultu, elegantia et amoenitate carent. Itaque *horrida* oratio est quae non est ex arte structa et composita, cui opponitur oratio nitens, elegans, polita, luminibus et ornatu oratorio distincta et numerosa. Inprimis veteribus tribuitur *horridum* orationis genus. Vid. Ernest. p. 196 sq.

quamlibet illud frigidum] Affectu nata transpositio adverbii pro *illud quamlibet frigidum*. *Sp.* Mihi ante vocem *quamlibet* mente concipiendum videtur *aliquid*, ad quod referatur *illud*. *Buttm.* Explica *quamvis illud quod efferunt sit frigidum*, cum contra veteres illi magnifice senserint, horride elocuti sint. *Zumpt. frigidum* esse quod lepore et voluptate careat nihilque valeat ad delectandos audientium animos, docet Ernest. p. 182. sq. Saepissime autem *frigidum* et *inane* iungitur. Plin. Ep. IV, 7, 4. „Omnia ista *frigida* et *inania* videntur." ibid. IX, 4, 8. „in re *inani*, *frigida*" etc. Qu. IX, 3, 74. „*frigida* et *inanis* affectatio." Cf. quae dedimus ad Xenoph. Sympos. 6, 7. Locis ibi allatis adde Tacit. Dial. 9, 1. „laudem *inanem* et *infructuosam*."

sententiis] Multus post Ciceronem apud rhetoricos de sententiis, orationis ornamentis, sermo. Oratio non placebat nisi sententiarum luminibus distincta: hae velut scintillae ubique emicare debebant, praecipue in clausulis. Sed admodum vaga erat sententiarum notio: nam non solum eae sic vocabantur quas Graeci γνώμας appellant, v. c. „*Veritas odium parit*", sed quaevis fere enuntiatio breviter et

Atticis scilicet: qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem

---

cum acumine dicta periodoque inserta illis pro sententia erat. *Schulze* ad Tacit. Dial. p. 163., qui haec omnia hausit e Quint. VIII, 5.

Atticis] Ita et Calvus apud Cic. Brut. c. 82. „*Atticum* se Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur." Nempe Attico dicendi generi tribuebant veteres subtilitatem et tenuitatem, quae nihil redundantiae admittit, quam eandem Cicero et *siccitatem* et *salubritatem* appellat Brut. 82. Hinc multi putarunt, anguste et exiliter dicere esse Atticum. Brut. 84. *Gierig.* Vid. ad 1, 44.

praecisis conclusionibus] *Praecisus* ubi refertur ad orationem, est *brevis*, *abruptus*, *circumcisus*, *concisus*. Cfr. IX, 2, 57. „Est alia non quidem reticentia, quae sit imperfecti sermonis, sed tamen *praecisa*, velut ante legitimum finem, oratio: ut illud *Nimis urgeo*, *commoveri videtur adolescens* et *Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis.*" Apud Cic. N. D. III, 7. Zenonis *breves et acutulae conclusiones* memorantur. „*Conclusiones* autem cave ad numeros referas [vid. ad 1, 106.]: sunt subtiles illae *conclusiones*, de quibus agit v. c. Cornificius memoratus IX, 3, 98." *Spald.* De ἀποδόσεσι cogitandum est, quas qui brevitatis nimiae vel acuminis causa omittunt, obscuram orationem reddunt, quam inde ἀνταποδοτόν, ἀναχόλουθον et δυσπαρακολούθητον Graeci dixerunt. Vid. Lex. Gr. techn. in h. vv. *Ernest.* p. 80. At Herzog. interpretatur „*durch abgebrochenen Ideengang.*"

superant] sua scilicet ipsorum opinione. Sic statim *aemulantur* pro *aemulari se credunt.* Nihil igitur efficit Herzog. Spaldingii conlecturae *Attici sunt scilicet* hoc opponens: „At non *sunt*, sed speciem praeferunt ac tales haberi volunt."

tristes ac ieiuni] *Tristes* dicuntur qui semper et continuo sunt severi, horridi nihilque dantes delectationi aut venustati. *Ernest.* p. 192. sqq. Cf. VIII, 3, 49. Cic. Brut. 30, 113. Plin. Ep. II, 5, 6. Similiter *horridi atque ieiuni* coniunctim nominantur apud Qu. II, 5, 21. — *Ieiuni* sunt aridi, exiles, exsangues: unde orationi *ieiunae* opponitur *copiosa* VIII, 3, 49. Quum autem supra 1, 113. in Pollione laudaretur *summa diligentia*, quae quibusdam etiam *nimia* videretur: non dubium est, quin Fabius *tristes ac ieiunos* intelligi voluerit eos, qui in verborum cura et delectu modum excederent nimiaque contra se calumnia verum sanguinem perderent: de quo *κακιζοτεχνίας* genere diximus ad 1, 115.

otiosi et supini] *Otiosi* dicuntur etiam *lenti*, *tardi*, *remissi*, *oscitantes*. Cf. VIII, 2, 19. Tacit. Dial. 18, 6. cl. 21, 7. 22, 2. — *Supini* interprete Wolffio sunt *tardi*, *negligentes*, qui securi quasi tergo iacent. Similiter Graecis ὕπνιος dicitur qui, ut ait Ernest. p. 390., in oratione circumducenda, verbis dilatanda periodisque circumagendis modum excedit.

18 locuturum fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent *Esse videatur*. Ergo primum est, ut quod imitaturus est quisque intelligat et quare bonum sit sciat.

19 Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quaedam sunt imitabilia quibus aut infirmitas

---

§. 19. *imitabilia*] Sic Spald. cum Tur. Guelf. Goth. et edd. ante Ald. exc. Camp. *mirabilia* Voss. 1. Reliqui *inimitabilia*, quod verbum sine *sunt* legitur I, 10, 7. II, 16, 16. Cf. hic §. 12. et ann. ad nostrum locum.

---

18. *se — expressisse*] Insolentior in hac structura accusativus pronominis personalis infinitivo additus excusatur verborum ordine, quo illud *sibi viderentur*, i. e. *putarent*, paullo remotiorem locum occupavit. Cf. etiam ad 1, 46.

Esse videatur] Propter nimis frequentem huius clausulae usum Ciceronem eiusque imitatores vituperans Aper ap. Tacit. Dial. 23, 1.: „Nolo, inquit, irridere *rotam fortunae* et *ius Verrinum* et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum *esse videatur*. Nam et hoc invitatus rettuli et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt hi, qui se antiquos oratores vocant." Cf. Spald. ad IX, 4, 78. et Zumpt. Gr. §. 751. et ad Cic. Verr. Act. II. lib. II. c. 9. §. 24. Eadem hac clausula usus est Fabius infra 7, 29.

suas vires] Imitatoris vires quum opponantur viribus eius, quem imitatur, cum vi quadam praemittitur pronomen possessivum.

19. *quaedam sunt imitabilia*] Iam quidem de iis non agit, quae imitatione exprimi nequeant, nec prius illud quod dederat praeceptum tractat, ut quae quisque imitanda sumeret, quare bona essent, sciret; sed ea quoque, quae et digna sint imitatione eamque admittant in genere, non cuivis promiscue speranda esse monet. Persequitur enim alteram suam legem „consulat vires". Quare sine negatione scribendum erat nomen *imitabilia*. *Spald.* Miror crisin Spaldingianam, quod *imitabilia* scribendum censuit, quamvis illud ipsum scriptor doceat, videndum esse cuique quid vires admittant, quid ferre recusent. Quae supra §. 12. dixit imitabilia non esse, ingenium, inventionem, reliqua, ea in universum imitationi eximuntur: nunc iam de singulorum diversis ingeniis dicit, quibus item hoc et illud non conveniat nec expeti debeat. *Zumpt.* Modo ne officii notio putetur esse in *inimitabilia*, qua voce imitandi potestas tollitur, quae nequit tolli, sed eius usus dissuaderi, ut Cic. Off. I, 31, 110. „neque enim attinet repugnare naturae nec quidquam sequi, quod assequi non queas." et §. 111. „si aliorum naturam imitans, omittas tuam." *Gernh.* in Addend. p. 603. Praeter haec sunt alia quaedam in promtu, quibus sententia Spalding. confirmetur. Nam primum modo ab auctore disputatum est, quam necesse sit, *ut quod imitaturus est quisque intelligat, quare imitatione dignum sit.* Iam vero ad aliud

naturae non sufficiat aut diversitas repugnet. Ne, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam quam cupit non assequatur. Nihil est enim tam indecens quam cum mollia dure fiunt. Atque ego illi praeceptori, quem instituebam 20

---

dure] In nonn. libris est *dura*. Vid. ann.

---

quid aeque necessarium pergit, ut *suas quisque vires consulat*. Omnia scilicet illa, quae exempli loco infra recensentur, *imitabilia* sunt, verum non omnibus, propterea quod, quum duo faciunt idem, non est idem. Tertio ex ipso verborum ordine colligi posse arbitror, sententiae gravitatem ac rei pondus non inesse in voce *imitabilia*, sed in *quaedam sunt*, quod verbum hic respondet Franco-Gallico *il y a*, sic ut *quaedam imitabilia* expleant tantummodo notionem subiecti; praedicatum quod dicunt situm est in verbo *sunt*. Postremo *imitabilis* et totum illud genus adiectivorum *similitudinem* et *opportunitatem* indicat, non *legem*, qua quis alterutri officio obstringatur. His adiicere licet, si quis persistat in voce *inimitabilia*, ei etiam legendum esse *sufficit — repugnat*. Cur ita fieri debeat, explicatione non eget. *Herzog*. Praeter Zumptium unus Luenemannus, quod sciam, retinuit *inimitabilia*, alteram scripturam ferri non posse ratus, nisi *quibus tamen* sequeretur. Ergo non intellexit vir doctissimus, *sunt* hic non esse copulam, sed verbum substantivum, quod vocant.

tenue ingenium] i. e. ad *tenue genus dicendi* aptum et compositum ingenium. Sic §. 23. „in leni ac remisso causarum genere." i. e. quod lene ac remissum genus dicendi requirat. Ibid. „in asperis gravibusque causis."

abrupta] Latinis omnino dicta sunt quae celeritatem nimiam, praecipitantiam, vim acriorem et praecisam brevitatem haberent. *Ernest.* p. 1. sq. Cf. IV, 2, 45.

cum mollia dure fiunt] Is qui natura acer et vehemens (*ingenium indomitum*), si supra modum velit elegans esse, eo maxime displicebit, quod dure et rigide faciet mollia ea, quae captabit. *Sp.* Elocutioni cum *mollitudinem* vel *mollitiem* tribuerent rhetores, genus illud dicendi significabant, quod in verbis venustam lenitatem, in sententiis vero et omni habitu et colore suo quandam tranquillitatem ex affectus vehementiaeque inopia prae se ferret, essetque severitati et acri gravitati elocutionis oratoriae vel forensis oppositum. *Ern.* p. 258. Suspicor autem Quintilianum scripsisse *cum mollia dure, dura molliter fiunt:* alioqui deest quod ad superiora illa „*ne cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta*" referatur. Atque haud scio an Fabius ante oculos habuerit Aristot. Rhet. III, 7. Ἐὰν οὖν τὰ μαλακὰ σκληρῶς καὶ τὰ σκληρὰ μαλακῶς λέγηται, ἀνήθικον γίγνεται.

20. *Atque ego — credidi*] *Und so habe ich — geglaubt.* Oratores, praesertim Cicero, periodos incipiunt a particula *Atque*, quo se

in libro secundo, credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret. Et adiuvare debet quae in quoque eorum invenit bona et, quantum fieri potest, adiicere quae desunt et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator. Difficilius
21 est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia, quae recta sunt, velit esse in suis

---

§. 20. *credidi*] Al. *tradidi*. Saepe haec verba commutata videmus.

---

reclinent et in iis, quae antecedebant, reliqua dicturi nitantur. Nos idem exprimere solemus per *und so*. Ita dicunt Latini his formulis: *atque ego, atque ego scio, ac nescio, atque haud scio, ac vereor, atque ego credo:* quae saepe aliquam modestiae ferunt speciem, quasi is, qui loquitur, se ad hanc suam sententiam per ipsam rem perductum esse significet. Ciceronem per *atque ego* ad responsionem transire, observavit Goerenz. ad Cic. de Fin. V, 3, 8. *Hand.* Turs. I. p. 497. Cf. infra 7, 28. et ad 1, 26. Sententiarum nexum bene Frotsch. sic exponit: „Atque ego quidem, quanquam illi praeceptori credidi non ea sola docenda esse, ad quae — videret, quum et adiuvare debeat et adiicere et emendare et mutare: nolo tamen illum *laborare* in eo, cui naturam obstare viderit."

in libro secundo] cap. 8. ubi §. 8. haec sunt: „Verum ei, qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia, quae sunt eius operis, etiamsi qua difficiliora discenti videbuntur, elaborandum est" etc.

adiicere] II, 8, 9. „Nam si quaedam detrahere necessarium est, cur non sit adiicere concessum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deserendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum addendumque quod cessat."

Rector enim est] Sic 1, 115. „Imitator *autem* est." ubi vid. ann. — Ad verba *rector — formator* cf. Plin. Ep. III, 10, 6. „Me quoque *formate, regite.*" De sententiarum nexu audi Frotscherum sic disputantem: „Quae sunt interposita verba *Rector enim* etc., causam continent, cur praeceptor debeat adiuvare, adiicere etc. Sequentibus *Difficilius — fingere* Qu. nihil aliud quam docet, non esse adeo difficile aliena regere et formare ingenia, ut de fructu desperes. Itaque praeceptor et *debet* adiuvare, adiicere etc. et *potest:* neque tamen *laborabit* atque oleum et operam perdet in eo, cui obstet natura" Cf. Cic. Brut. 56, 204.

21. *in suis auditoribus*] Quum illius doctoris, quem Qu. instituebat libro secundo, auditores opponantur vulgarium praeceptorum auditoribus, recte possessivum *suus* praecedit. Vid. ad 1, 48.

auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit.

Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nec comoedia in cothurnos assurgit nec contra tragoedia socculo ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: imitemur quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere eis, qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas iis placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas ac iucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas condicio,

---

§. 22. *Nec comoedia in cothurnos*] Tur. Camp. *Nam* pro. *nec*, sed Andr. *Nam neque*. Pro *comoedia* Tur. Fl. (a pr. m. uterque) *comoediae*. Iidem cum Camp. *in cothurnis*. Hinc Spaldingiana scriptura *Nam comoedia non cothurnis*, quae vel propter structuram verbi *assurgere* displicet.

---

tamen] hic quidem post *quanquam* omitti poterat propter praegressum *ne — quidem*; sed consulunt veteres perspicuitati.

vitandum] Herzogius gerundio conatum significari arbitrans interpretatur: *Auch das muss man zu vermeiden suchen*. At vim illam, si omnino necessariam putes, rectius in notione verbi quam forma quaeras.

in illis operibus] i. e. in poesi et historia. Quod quamquam commode ex praecedd. intelligi poterat, erant tamen qui scriberent *in illorum operibus*, operosa quadam ἀκριβείᾳ, quam merito reprehendit Spaldingius. *Frotsch.*

22. *comoedia — ingreditur*] Ex Horatii arte poetica sumtus est hic sensus scribentis (v. 89 — 92.): „Versibus exponi tragicis res comica non vult: Indignatur item privatis ac prope socco Dignis carminibus narrari coena Thyestae. Singula quaeque locum teneant sortita decentem." *Regius.* Cf. Cic. de opt. gen. oratt. c. 1. „Itaque in tragoedia comicum otiosum est et in comoedia turpe tragicum; et in ceteris suus est cuiusque certus sonus et quaedam intelligentibus nota vox."

23. *uni alicui*] Sic etiam §. 24. „*uni se alicui* — addicere."

asperitas] τραχύτης, σφοδρότης, temperatiori opponitur orationi, in qua est remissio quaedam et lenitas. Sic statim „in *asperis gravibus*que causis." Vid. Ernest. p. 85. sq.

sed in singulis etiam causis partium, sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum
24 omnium dissimilis atque divisa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Omnium perfectissimus Graecorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alii: plurima ille. Sed non qui maxime imitandus, et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quo modo Marcus Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia

---

§. 23. *divisa*] Sic Tur. Fl. a. pr. m. Alm. Reliqui *diversa*. — §. 24. *aliquo in loco*] Praepositionem cum Tur. omisit Herzog. Sed cf. §. 25.

---

divisa] i. e. *diversa*. Vid. Hertel. Tac. Agric. 9. *Aug. Divisa* ob id ipsum quod *diversa* atque *dissimilis* est. *Fr.* Nimirum *diversus* dicitur de rebus *contrariis sibique oppositis*. Cf. Nep. I, 4. „in uno homine tantam inesse *dissimilitudinem* tamque *diversam* naturam."

24. *sequatur*] Non intelligo cum Frotschero *is qui imitatur*, sed refero tertiam personam ad subiectum indefinitum *aliquem*, quod latet in infinitivo *se addicere*. Cf. ad 1, 7. Sic explico *velit* II, 15, 12. 16, 19. Cic. de Orat. I, 8, 30.

melius alii] Eadem ellipsi 3, 25. „Demosthenes *melius*, qui" etc. Inprimis verba *iudicandi, statuendi* intelligi, docuit Beier. ad Cic. de Off. III, 11. extr. Cf. Ramshorn. Gr. p. 685.

25. *Quid ergo? non est satis*] Oratores utuntur formulis *quid ergo? quid ergo est?* ut animum attendant ad id, quod ex aliqua re colligi poterit et quod vel ex aliena quaestione sibi opponunt atque obiectionem occupant *(wie also?)*, vel prioribus tamquam proxima et consequentia connectunt *(und nun?)*, vel ut remotis iis, quae ante dixerunt, propius ad rem accedant: saepe etiam, ut conclusionem ipsi conficiant et ut transitum sibi parent ad uberiorem expositionem, in quibus saepe oratorie idem exprimitur, quod simplex *ergo* alibi significat. Sequitur vero interrogatio, cui illa verba praeludunt, vel affirmativa vel negativa, quam plerumque excipit responsio verbis *minime, immo vero*. *Hand.* Turs. II. p. 456. sq. Cf. Grysar. p. 90. n. 2. Recte Herzog.: „*Wie also? es ist nicht hinreichend* —? Perperam alii *non* pro *nonne* dictum putantes convertunt „*ist es nicht hinreichend?*" Cf. Cic. de Off. III, 19, 76. „*Quid ergo?* hic *non* noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat?" et supra 1, 66. „*Quid?* Herculis acta *non* bene Pisandros?" Omnibus his locis *non* peculiarem suam vim negandi retinet.

consequi possem. Quid tamen noceret vim Caesaris, 25
asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium
Calvi quibusdam in locis assumere? Nam praeter id 26
quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si
possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum
intuentes vix aliqua pars sequitur. Ideoque cum to-
tum exprimere quem elegeris paene sit homini incon-
cessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut
aliud ex alio haereat et quod cuique loco conveniat
aptemus.

Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non 27
sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quan-
tum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis,

---

§. 25. *noceret*] int. *etiamsi consequi possem. Sp.* Deteriores libri *nocet.*

---

asperitatem Caelii] Contulisse iuvabit illam Caelii in Antonium descriptionem, quae exstat IV, 2, 123. sq.

iudicium] intellige cum Ernest. p. 226. illam mentis virtutem, qua quid in unaquaque re rectum, aptum, decorum et utile sit videmus, *Beurtheilungskraft, Gefühl des Schicklichen, Geschmack.*

assumere] i. e. *foris arcessere.* Vult enim in toto quam simillimus quidem esse Ciceronis noster; nec tamen recusat virtutes ab huius ingenio alienas aliunde mutuari Ciceronianisque adiungere. Sic Cic. Inv. II, 24. vocabuli *assumtiva* ratio redditur, quod „*foris* adiuncto argumento" causa defendatur. Vid. et X, 1, 121. *Sp.* Adde hic §. 27. et infra 6, 8.

26. *praeter id quod — tum*] Similiter Graeci variant, ut Soph. Ant. 61. τοῦτο μέν — ἔπειτα δέ. ubi vid. Erfurdt. cf. Seidler. Eurip. Iphig. T. 872. *Aug.* Idem annotavit Herz. ad Vers. Germ. p. 155. Sed inf. 3, 6. *quoque* infertur post formulam *praeter id quod*, de qua vid. ad 1, 28.

vix — sequitur] i. e. vix alicuius partis et loci imitatio bene succedit. *Wolff.* Cf. XI, 2, 39. „Sic *contingit*, ut etiam quae ex tempore videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod meae quoque memoriae mediocritatem *sequebatur.*" Vid. mox ad §. 27.

ut aliud ex alio haereat] i. e. *ut aliud (bonum) ex alio (scriptore) haereat (sc. in animo imitantis), dass ein Vorzug von diesem, ein anderer von jenem sich einprage.* At Herzogius: „*dass einer an den andern* (Vorzug) *sich anreihe.*" Cui interpretationi antecedentia parum conveniunt.

27. *nam saepius idem dicam*] Plin. Ep. I, 5, 16. „*ut idem saepius dicam.*" Respicitur autem ad §§. 13. 16.

quod consilium, quae dispositio, quam omnia, etiam quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur prooemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumta, quae tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur.
28 Qui vero etiam propria his bona adiecerit, ut suppleat quae deerunt, circumcidat, si quid redundabit, is erit, quem quaerimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportet, cum tanto plura exempla bene dicendi supersint quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

CAP. III.

§. 28. *deerunt*] De Francii coniectura. Codd. *deerant*, quod et ipsum ferri potest. — *tanto plura*] Tur. Fl. (hic a pr. m.) Camp. *plurima*, quod sequente *quam* vix defendi potest, quanquam receperunt Frotscher., Gernhard., August., ut supra 1, 45.

delectationi — data] XII, 10, 45. „Cum omnia *utilitati*, tum partem quandam *delectationi daret.*"

ad victoriam spectent] Cf. II, 4, 32. V, 12, 22. item XII, 10, 48. *Spald.*

laus popularis] opponitur *doctorum iudicio.* VIII, 3, 2. „In ceteris *iudicium doctorum*, in hoc vero etiam *popularem laudem* petit." XII, 10, 72. „Tum *laudem* quoque, nec *doctorum* modo, sed etiam *vulgi* consequetur."

sequitur] *Sequi* haud raro dicuntur quae non *quaesita* et *affectata*, sed quasi sua sponte obveniunt. Sic VIII. prooem. §. 18. „quod pulcherrimum, sed *cum sequitur*, non *cum affectatur.*" Plin. Ep. I, 8, 14. „*Sequi* — gloria, non *adpeti* debet." Sallust. Cat. 54. extr. „Quo minus gloriam *petebat*, eo magis *sequebatur.*" Addito accusativo erat modo §. 26. Cf. Sallust. Cat. 3, 2. „haudquaquam par gloria *sequitur scriptorem* et *auctorem rerum.*" Tac. Dial. 10, 1. „Nec opinio quidem et fama — aeque *poetas* quam *oratores sequitur.*" Adde Qu. VIII, 6, 24. XI, 2, 39. al. Sallust. Hist. fragm. I, 19, 9. 21. Pluribus etiam de hoc verbo disserit Ernest. p. 353. sq.

tum] servit augendae extollendaeque apodosi.

28. *ut suppleat*] Dure admodum futuro exacto hic subiicitur coniunctivus praesentis, sed linguae, non scriptoris vitio.

nunc — potissimum] i. e. nostra potissimum aetate.

eorum] int. qui futuri sunt oratores consummati, perfecti. Notandus hic transitus a singulari ad pluralem. Cf. ad 7, 6. et supra ad 1, 7.

CAPUT III.
QUOMODO SCRIBENDUM.

Et haec quidem autilia extrinsecus adhibentur: 1
in iis autem, quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert stilus. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum dicendi* vocavit. Cui sententiae personam L. Crassi in disputationibus, quae sunt de oratore, assignando iudicium suum cum illius auctoritate coniunxit. Scribendum ergo quam diligentissime et quam 2
plurimum. Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit: sic profectus non a summo petitus studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. Illic 3

CAP. III.

§. 2. *et fundit*] Al. *effundit*, quod arridet Herzogio. Tur. *effunditur*.

---

1. *extrinsecus adhib.*] Sic V, 11, 36. „*Adhibetur extrinsecus* in causam auctoritas." *Adhibere* interpretatur Aug. *assumere, in partes vocare.*

M. Tullius] de Orat. I, 33, 150. 60, 257. Cf. Plin. Ep. VI, 29, 4. „Nec me praeterit, *usum* et esse et haberi *optimum dicendi magistrum.*" Apud Qu. V, 11, 7. Cicero vocatur *optimus auctor ac magister eloquentiae.*

2. *terra — continet*] Simillimus locus est infra 7, 28. sq.

non a summo] sed ex alto fundamento, ita ut penitus immissae sint radices. Cf. I, 3, 5. — Sequens *studiorum* iunge cum v. *fructus.*

hac — conscientia] nihil aliud est nisi *huius rei conscientia.* Est autem haec res *insumtus in scribendo labor.* Is demum, qui etiam dum ex tempore dicit, memor esse potest plurimorum a se exercitii causa scriptorum, sine invereundia aut levitate prodibit ad orandum. Reliqui extemporalitatis gloriam pudoris tantum et severitatis iactura acquirent. *Sp.*

inanem] cui non vera subest scientia atque copia rerum et verborum. *Wolff.*

verba — nascentia] Simile est quod dicit Seneca Ep. 10. „Non a summis labris ista venerunt: habent hae voces fundamentum." *Fr.*

3. *Illic*] in stilo s. exercitatione scribendi. Vim epanaphorae nemo ignorat. Vid. Aquilae Romani de Fig., Sent. et Eloc. Lib. §. 34.

radices, illic fundamenta sunt: illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quae sufficiant labori certaminum
4 et usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effingi cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecerit legem, ut maiora animalia diutius visceribus parentis continerentur.

Sed cum sit duplex quaestio, *quomodo* et *quae* maxime scribi oporteat, iam hinc ordinem sequar.

---

§. 3. *subitos quoque*] Badii coniectura *sub. quosque* displicet propter adiecta verba *cum res exiget.* — §. 4. *effici cito*] Tur. *effugith*, a sec. m. *effugere* sine adverbio. Sed Palat. Gebhardi *effugere cito.* Hinc Spald. aliique *effingi cito.* — *parentis*] Al. *parentum.*

---

sanctiore — aerario] De hoc praeter Liv. XXVII, 10, 11. vid. Manut. ad Cic. Att. VII, 15. et Held. ad Caes. B. C. I, 14.

Vires faciamus] i. e. *acquiramus, colligamus, alamus.* cf. ad 1, 42.

et — non exhauriantur] Negativa sententia nectitur vocabulo *nec.* Sed ubi oppositio fit recta et ubi negatio non ad totam sententiam, hoc est, non ad iudicii formam pertinet, sed ad unam aliquam notionem, ideoque singularis via imponitur negationi, Latini dicunt *et non. Hand.* Tur. II. p. 497.

4. *rerum ipsa natura*] Sic §. 26. cf. 5, 22. Omisso genitivo Cic. de Or. III, 45. extr. „Ut in plerisque rebus incredibiliter hoc *natura ipsa* est fabricata, sic in oratione" etc. Recte Herzog. ad Vers. Germ. p. 154. *naturam* et *rerum naturam* significare dicit tam *Universum, die Welt*, quam *vim procreatricem, die Schöpferkraft.* Male tamen idem locum sic reddidit: „*Denn nichts Grosses in der Welt wollte die Natur selbst schnell ausgebildet haben.*" Quasi vero genitivus *rerum* e voce *nihil* pendeat.

cito] maiorem vim accipit in extrema sententia positum, quemadmodum 1, 105. „*hoc tempore*".

praeposuitque — difficultatem] Hesiod. ἔργ. v. 289. τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.

maiora animalia] Plin. N. H. X, 63. „Quo maius est animal, tanto diutius formatur in utero." Cf. quae de elephanto narrat Achill. Tat. IV, 4. p. 84. ed. Iacobs.

parentis] Cogitatur ex toto genere animalium unum aliquod: quare ponitur singularis, ut Eur. Troad. 396. ὅσοι δὲ μὴ θάνοιεν — σὺν δάμαρτι ᾤχουν, *quicunque non occubuerant, eorum unusquisque cum coniuge habitabat. Aug.*

hinc ordinem sequar] ut nunc dicam, *quomodo* scribi oporteat.

it primo vel tardus, dum diligens, stilus: quaera- 5
mus optima nec protinus offerentibus se gaudeamus:
dhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. De-
ectus enim rerum verborumque agendus est et pon-

. 5. *agendus*] Al. *habendus*.

---

uae vero scribenda sint, docetur c. 5. *Wolff.* Obrecht. defen-
ente Genslero p. 52. *hunc*, quod si Qu. scripsisset, quis mutare au-
as esset? Guelf. *his*. Reliqui *hinc*, quod Spald. assentiente Frot-
hero dissimilibus locis II, 11, 1. „*Iam hinc* — inchoanda est ea
ars." et III, 1, 1. „*Iam hinc* — exsequar" tuetur. Est potius
inc ordinem sequar contractius dictum pro *hinc ductum ordinem*
equar. Hoc pacto *hinc* servandum putavi. *Gernh.* Exemplis a
paldingio laudatis adde II, 4, 1. „*Hinc iam — incipiam.*"

5. *primo*] i. e. *primo tempore, initio, anfangs, zuerst.* Cf. §. 17.
ontra *primum*, quod in rebus enumerandis designat ordinem, quo
ae se excipiunt, respondet nostro *erstens, erstlich.* Cf. §. 9. 2, 14.
, 3. Vid. Herzog. ad Caes. B. G. VII, 15. Grysar. p. 143. n. 1.

dum] significat condicionem rei concedendae restringentem. Sen-
ntiarum, quae ita conformantur, altera saepe est concessiva, vel
licet vel per coniunctivum vel etiam per imperativum expresse.
id. Hand. Turs. II. p. 324. Cf. supra 1, 38. ubi tamen in annota-
one post v. „*conditionibus*" addas oportet „*sententiam aliquam*
el rem coercentibus", quae verba invito me exciderunt.

protinus — gaudeamus] Iungendum est verbo finito adverbium,
on participio. *Sp.* Melius id Wolffius ad participium pertinere
enset. *Optimis* opponuntur *protinus offerentia se*, τὰ τυχόντα.
rotsch. Et sic Herzog. „*was sich sofort darbietet.*" Recte tamen ex
ea quidem opinione Spald. Sic enim orationem resolvendam puto:
e quidquid se offeret, protinus nobis placeat, de qua dicendi
rma v. ad 1, 3. Sunt autem *offerentia se* quae sponte menti obve-
unt, non quaesita, ideoque ad id quod volumus parum apta. Infra
6. legitur: „nec *offerentibus se aliunde sensibus* turbabuntur."

adhibeatur iudicium inventis] Cic. Orat. 15, 48. „*Iudicium* igitur
hibebit, nec *inveniet* solum quid dicat, sed etiam expendet." Qu.
I, 3, 5. sq. „His adiecerunt quidam sextam partem, ita ut *inventioni*
dicium subnecterent, quia primum esset *invenire*, deinde *iudicare*.
o porro ne invenisse quidem credo eum, qui non iudicavit; neque
im contraria, communia, stulta invenisse dicitur quisquam, sed
n vitasse. Et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inven-
ni: mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum
am neque dispositio sine eo neque elocutio fuerit), ut pronuntia-
nem quoque vel plurimum ex eo mutuari putem." Cf. Ernest.
226. sq.

dispositio] *rerum inventarum in ordinem distributio.* Vid. Ernest.
128.

delectus — agendus] Plus significat *delectum agere* quam *dele-*
um habere. Hoc enim simpliciter, illud cum adiuncta curae maio-

dera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi versenturque omni modo numeri: non ut
6 quodque se proferet verbum, occupet locum. Quae quidem ut diligentius exsequamur, repetenda saepius erunt scriptorum proxima. Nam praeter id quod sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires et velut repetito spatio sumit impetum; quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant et ad illud aliud quo contenditur spatium cursu ferantur: utque in iaculando brachia reducimus et expulsuri tela nervos retro tendimus. Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum pos
7

Post] Al. *Postea.* — §. 6. *ad illud*] Fl. a sec. m. addit *aliud*. Sed idem pr. m. cum Tur. *aliud* exhibet solum. Reliqui omittunt *aliud*.

---

risque diligentiae notione rem de qua dicitur exprimit. *Fr.* Sic *agere curam* V, 6, 3.

ratio collocandi] cuius sunt tres partes: *compositio*, *conclusio*, *numerus*. Vid. Cic. Orat. 60, 201. et de Orat. III, 49. sq. — *De numeris* vid. Qu. IX, 4, 45. sqq.

6. *calor — recipit ex integro vires*] Similiter Plin. Ep. VII, 9, 6. „*recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque*." Infra §. 17. *calorem* et *impetum* ut synonyma iungit.

velut] ad totam elocutionem pertinere, non modo ad *repetito spatio*, annotavit Wolffius, nescio an satis recte. Nam quum duae sint translationes, una *repetito spatio*, altera *sumit impetum*, particula *velut* aut ad illam aut ad hanc pertinere necesse erit. Sed constans est omnium scriptorum usus, ut quando duae metaphorae praemuniendae sunt aliquo remedio, id adhibeant ei, quae aut audacior est aut causa alterius, v. c. Antonius de oratore recte instituendo disputaturus *totius velut aedificii basin* imitationem posuit. Cf. 1, 27.

in certamine saliendi — in iaculando — expulsuri tela] Nimis sibi indulsit; est prope Homericus similium proventus, et in re levicula, non in incessu exercituum duorum. *Sp. reducimus* elegantius esse dictum pro *retro trahimus*, observavit Burmannus, qui affert Ovid. Met. VI, 107. Valer. Flacc. IV, 256. Stat. Theb. VI, 568.

7. *si feret flatus — fallet*] si postulabit impetus animi, obsequemur ei et celeriter scribemus, si modo illud obsequium nos non fallat et ad male scribendum impellat. *Gierig.* De *vento ferente*, i. e. *secundo* Burm. advocavit Servium ad Aen. VII, 27. et Barth. ad Stat. Theb. III, 29. — „*Dum* saepius ponitur cum negatione *ne*, ut terminus significetur, ultra quem sententia non possit extendi. Atque haec

indulgentia illa non fallat. Omnia enim nostra, dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed 8
redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varius. Oratoris quidem alia condicio est. Itaque 9
hanc moram et solicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut

---

§. 8. *Varius*] Sic Col. (1527.) *varii* Fl. et Guelf. Reliqui *Varus*. Sed vid. Weichert. Poet. Lat. Rell. p. 156. Cf. 1, 98.

---

est exceptionis forma, qua res aliqua conceditur ex aliqua parte. *Dum non* dici non potest, nisi ubi negatio *non* cum verbo cohaeret, quod saepe fit in verbis *non esse*." *Hand.* Turs. II. p. 825. Idem pag. 827. extr. „In *dummodo non* aut *non* ad aliud nomen pertinet aut cum verbo in unam notionem coniunctum est, veluti *non esse*."

redeamus ad iudicium] Non semper utendum celeritate scribendi, sed secuti aliquando calorem cogitationis atque impetum animi, iudicium rursus adhibeamus inventis.

suspectam facilitatem] quae ex tempore dicit, sed ita ut non multa et diligens praecesserit scribendi exercitatio. *Wolff.* At nunc quidem de *facilitate ex tempore dicendi* neutiquam agitur; sed hoc praecipit rhetor noster, ut quae calore cogitationis abrepti sine mora ac solicitudine *scripserimus*, in iis nullam collocantes fiduciam, rescribamus et corrigamus. Propius ad mentem scriptoris accessit Herzog. sic vertendo: *man nehme argwöhnisch das leicht Hingeworfene abermals vor.*

8. *Sic*] scil. ut quidquid scriberet, diligenter examinaret et expenderet.

Virgilium] Pseudo-Donatus in vita poetae: „Cum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se ursae more parere dicens et lambendo demum effingere." Cf. Gell. N. A. XVII, 10.

die] i. e. *unius diei spatio*. Cels. I, 1. „Et qui semel et qui bis *die* cibum assumit." Magis frequentatur *in die*, *in anno*, *in hora*. Sic Horat. Serm. I, 4, 9. „*In hora* saepe ducentos — versus dictabat." Cic. p. Rosc. Am. 45. extr. „*ter in anno*." Saepe veteres numerum singularem ponere, ut *unitatis* notionem non diserte addant, annotavit Augustus, citato Theocrit. 12, 2. *οἱ ποθεῦντες ἐν ἤματι* (i. e. *uno die*) *γηράσκουσιν*. Doederl. ad Soph. Oed. Col. 558. Dissen. Pind. Ol. XIII, 39.

9. *Oratoris — condicio est*] quippe cui plerumque non multum spatii ad scribendum concedatur. *Gierig.* Cf. 7, 2. sqq.

initiis] noli cum Sarpio interpretari *incipientibus*, sed *rudimentis*, *primordiis*. Vid. ad 2, 2.

quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio prosequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa haec est rei. Cito scribendo non fit, ut bene scribatur: bene scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus, ut provideamus, et ferocientes equos frenis quibusdam coerceamus: quod non tam moram faciet quam novos impetus dabit. Ne-

---

§. 9. *prosequetur*] Sic vetustissimi codd. pro *sequetur*. Goth. *persequetur*. Camp. *persequentur*. — §. 10. *et ferocientes equos*] Non agnosco in hac Badii coniectura Quintiliani manum; sed servandam eam duxi, quum non haberem, quid certius in eius locum substituerem. In codd. legitur *efferentis (efferentes) equos*, nisi quod Par. 1. 2. 6. *et eff. e.* exhibent. Ald. habet *et fer. equos*. Burmann. coniecit *et efferentes se equos*, ut *efferre se* sit Homericum ἐκφέρειν, *durchgehen*. Zumpt. dedit *et efferentem se* (sc. dicendi facultatem) *quasi frenis quibusd. coerceamus*, quae emendatio probatur Gernhardo in Addend. Frotsch. scripserat *et provideamus efferenti se quosdam frenos, quibus coerceamus*. Herzog. coniicit *efferentesque nos*. Post *equos* Fl. sec. m. *quos* et pr. m. cum Tur. atque marg. Bas. post *frenis* (Tur. sec. m. *frenos*) inserit *quibus*, in quo critici *quibusdam* latere putarunt. Vid. annot.

---

res — se ostendent etc.] Verbis delectis usus est. Res *se ostendunt*, dum inveniuntur, verba *respondent*, dum convenientia verba adsunt, compositio *sequitur*, quae facili negotio nobis cedit. Horat. A. P. 311. „verbaque provisam rem non invita *sequentur*." *Gierig.* Vid. tamen annot. crit.

familia bene instituta] Recte Gierig. intelligit servos ita edoctos, ut patrisfamilias auctoritati pareant eiusque voluntati satisfaciant.

in officio erunt] Eadem locutio est VIII. prooem. §. 30.

10. *Cito* etc.] Pithoeus contulit Plin. Ep. VI, 29, 5. „Commode agendo factum est, ut saepe agerem: saepe agendo, ut minus commode."

facultas illa] cito scribendi. *Frotsch.* De potestate sequentis v. *resistamus* vide ad §. 19.

ferocientes equos] Subitam *equorum* mentionem nec ullo remedio, quale est *velut*, mollitam Baden defendit loco Horat. Epist. I, 1, 8. „*Solve senescentem mature sanus equum*". Sil. It. VIII, 48. similibusque aliorum poetarum metaphoris. Cf. etiam ad 1, 4.

Neque enim] Sua potestate h. l. poni particulam, intelliges, ubi suppleveris talem sententiam: *Si moram faceret, non suaderem. Neque enim* etc. Cf. ad 1, 12. Quamobrem non placet Genslerus, *etiam* reponi iubens (p. 55.). *Frotsch.* Ut plerumque particula *enim* in sententiae alicuius antecedentis expositione et declaratione

que enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo sufficere officiis civilibus possit, 11
qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis, omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit velint: increduli quidam et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est 12
dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi

---

§. 11. *singulis actionum*] Tur. Fl. interponunt *vel*, quod prior a sec. m. in *velut* mutat, quod habet Camp. — *suo*] deest in Tur. Fl. a pr. m. Camp. Amel. — §. 12. *enim etiam*] Guelf. *etiam*, Fl. *enim* omittit cum multis edd. Spald. *etiam* exterminavit ob insuavem compositionem. Sed v. annot.

---

non totam illam sententiam, sed unam aliquam partem unumve verbum spectat, ita nostro loco ad sola verba „*non tam moram faciet*" pertinet.

11. *officiis civilibus*] Suet. Tib. c. 8. „*Civilium officiorum* rudimentis regem Archelaum, Trallianos et Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente, defendit." Cf. infra 7, 1.

increduli quidam] *quos quodammodo incredulos dicas.* Nam *quidam* servit molliendae voci *increduli* improprie positae. Cum contemtu h. l. dici, falso cum Herzogio autumat August.

12. *Nec promtum est dicere* etc.] Non obscure significat, minus peccare quibus omnia sua placeant quam quibus nihil. Male igitur Herzogius haec vertit: *Doch getraue ich mir nicht zu behaupten, welche von beiden* etc.

validius] Sic Vl. prooem. §. 8. „quo me *validius* cruciaret." *Frotsch.* „*Valdius* non est in usu, sicut contra raro *valide* dicimus." *Badius*, memoratus etiam Burmanno. Vicissim ad Declam. IX, 14. p. Burm. 202. idem desiderare narratur *valdius*, ubi vide Burm. Poetae quidem in hisce recedunt a reliquo usu, velut Horat. Ep. I, 9, 6. ad Pis. 321. *Spald.*

Accidit enim etiam] In verbis *enim etiam*, quae non cohaerent, grammatici nonnulli nescio quid insuavis inconcinnitatis animadverterunt. *Hand.* Turs. II. p. 396. Cf. VI, 3, 9. „Erumpit *enim etiam* invitis saepe." ubi quod nonnulli codd. non habeant *enim*, factum esse more consueto idem iudicat Handius, quem vide etiam p. 404.

memini narrasse] De infinitivo praeteriti v. Zumpt. Gr. §. 589. Grotef. §. 190. n.

Iulium Secundum illum, aequalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit Iulius Florus, in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scholae adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, quae causa fron-

---

familiariter amatum] Plin. Ep. II, 13, 5. „Hunc ego, quum simul studeremus, *arcte familiariterque dilexi.*"

13. *eloquentia Galliarum*] Galliae quantum floruerint eloquentia, Lugdunensis illa *academia* et *ara* (Suet. Calig. 20. Iuvenal. 1, 44.) argumento sunt. *Sp.*

ibi demum] *Demum* vel tempus vel locum vel rem aliquam ita designat, ut cum quadam confirmatione praemissis aliis opponantur. In his fere semper particula ei vocabulo adhaeret, cuius vim intendit. Atque antiqua quidem lingua triplex maxime habebat genus verborum, quibus *demum* adiungeret: temporis, *nunc demum*, *post demum*, *igitur demum*, *tum demum*: loci, *ibi demum*: pronomina demonstrativa *is demum*, *hoc demum*. *Hand.* Turs. II. p. 251. Idem p. 255. *ibi demum* interpretatur *gerade da*. Cf. ad 1, 44. 2, 8. 6, 5.

alioqui inter paucos desertus] *alioqui* sic coniungitur cum adiectivis, ut indicet, quomodo se ipsa res in se contenta habeat, non accedentibus aliis rebus, quae eam augeant vel mutent, quae verba sunt Handii Turs. I. p. 240. Cf. II, 1, 4. 15, 9. et supra ad §. 64. Recte iam Spaldingius: „Florus, inquit, praeterquam quod Galliarum in eloquentia princeps, ubicumque eum iudicares, inter paucos disertus erat." — Locutionis *inter paucos disertus* aliud exemplum Frotsch. posuit e Liv. XXVII, 7. pr. desumtum: „Haec est *nobilis* ad Trasimenum pugna atque *inter paucas* memorata populi Romani clades." Idem conferri iubet Ruddim. Inst. Gr. Lat. II. p. 805.

Is cum] Ab eodem pronomine antecedens enuntiatio incipiebat. Sed eiusmodi iterationes apud veteres scriptores et Latinos et Graecos ita sunt frequentes, ut vix dignae sint quae memorentur. Cf. ad 1, 23.

scholae adhuc operatum] Fabiana elegantia dignum est vocabulum. Cum enim *facere* et *operari* ad omnia sint communia, tamen cum per se ponuntur, rebus sacris, utpote divinis, et studiis sanctioribus propria sunt. *Badius.* Frotsch. comparavit Valer. Max. VI, 6, 1. „reipublicae usibus et sacris *operatum*." Supra 1, 98. in uno Turicensi erat *ingenio suo operari*. Sed prorsus aliam ibi dicit Herzogius rationem esse *scholae*, *studiorum*, *sacrificiornm*, *superstitionum* et similium notionum, aliam *ingenii*, cui quomodo quis *operetur*, facile quidem esse ad intelligendum, sed num *propie* dicatur, dubitari. — De adverbio *adhuc* cum historico tempore contra antiquiorum scriptorum usum coniuncto vide Zumpt. Gr. §. 292. Grysar. p. 474. sqq. Hand. Turs. I. p. 159. sq.

quae causa] sc. *esset*, cuius verbi omissio et frequentior et minus

tis tam adductae? Nec dissimulavit adolescens, ter- 14
tium iam diem esse, quod omni labore materiae ad
scribendum destinatae non inveniret exordium: quo
sibi non praesens tantum dolor, sed etiam desperatio
in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Numquid*
tu, inquit, *melius dicere vis quam potes?* Ita se res
habet. Curandum est, ut quam optime dicamus; 15
dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim
opus est studio, non indignatione. Ut possimus au-
tem scribere etiam plura celerius, non exercitatio
modo praestabit, in qua sine dubio multum est, sed
etiam ratio; si non resupini spectantesque tectum et

---

§. 13. *adductae*] Al. *obductae*, quod indignabundo homini minus convenit. — §. 14. *quod*] Al. *quo* vel *ex quo*.

---

dura in enuntiationibus interrogativis quam relativis. Cf. tamen 2, 17. et annot. crit. ad 1, 39.

14. *tertium — quod*] Plane sic Plin. Ep. IV, 17, 1. „Tertius dies est, *quod* audivi recitantem Sentium." *Sp.* Adde Plaut. Amphitr. I, 1, 146. „Iam diu'st, *quod* ventri victum non datis." Neque dubito, quin Trinum. II, 4, 1. cum vett. mss. sic legendum sit: „Minus quindecim dies sunt, *quod* pro hisce aedibus Minas quadraginta accepisti a Callicle." *Fr.*

omni labore] *trotz aller Anstrengung. Herz.* Cf. Matth. ad Cic. pro Mur. c. 8, 17.

Numquid] Vid. Zumpt. §. 351. n. Grysar. p. 92. n. 4.

15. *Ita se res habet*] Non probo Herzogium sic vertentem: „*Und so verhält es sich wirklich.*" Quis enim non videt, haec verba non ad Flori responsum, sed ad sequentia spectare? Cf. Cic. Brut. 51, 192. „*Ita se*, inquam, *res habet:* ut si tibiae inflatae non reserant sonum, abiiciendas eas sibi tibicen putet, sic oratori" etc. Orat. 70, 286. „*Res* autem *se sic habet* (ut brevissime dicam quod sentio): composite et apte sine sententiis dicere insania est, sententiosi autem sine verborum et ordine et modo infantia." Similiter supra §. 9. „*Summa haec est rei. Cito*" etc.

ratio etc.] II, 11, 4. „Quin etiam in cogitando nulla adhibita ratione aut tectum intuentes magnum aliquid, quod ultro se offerat, pluribus saepe diebus exspectant aut murmure incerto velut classico instincti concitatissimum corporis motum non enuntiandis, sed quaerendis verbis accommodant." *Ratio* explicatur sequentibus *humano quodam modo (mit bedachtsamem Blicke auf einen Gegenstand und mit verständigem Eindringen in denselben*, ut interpretatur Ernest. p. 321.).

resupini] dicuntur et qui *in tergo iacent* et qui *reclinatum habent*

cogitationem murmure agitantes exspectaverimus, quid obveniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis et initia et quod sequitur natura ipsa praescribit.
16 Certa sunt enim pleraque et, nisi conniveamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quaerunt, unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo semper putemus optimum esse quod latet: immutescamus alioqui, si nihil dicendum videatur nisi quod non invenimus.
17 Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere

---

§. 15. *quod sequitur*] Sic Tur. Fl. (hic a pr. m.) Camp. Reliqui *quae sequentur*. — §. 16. *ideoque*] Al. *ideo*. Sed v. ad 2, 13. — *quod non invenimus*] Guelf. *non* omittit. Praecedebat „*quod latet*."

---

caput. Itaque non minus haec vox in *stantes* vel *sedentes* quam in *iacentes* convenit. Sic XI, 3, 160. est *stare supinum*. Quoniam autem *meditantes* et *stilo utentes* fere sedeant, non *iaceant*, dubitare licet, num recte reddiderit Herzog. „*auf dem Rücken liegend*."

tectum intuentes] proprie hic est dictum, ut II, 11, 4. Cf. XI, 3, 160. „Vitiosa enim sunt illa, *intueri lacunaria*, perfricare faciem" etc. Eodem fere redeunt verba Iuvenalis Sat. I, 56. „doctus spectare lacunar." Nihil enim aliud significatur quam deses nihil agentis neque in certam rem animum intendentis gestus, qualis solet esse eorum, qui cum acriter aliquid videntur intueri, ne cogitant quidem de eo, quod cunimaxime spectant. Observavit haec et annotavit Spald. ad II, 11, 4.

qui iud. animus] *qui* interrogativum prope accedit ad vim pronominis *qualis*. Cic. Divers. I, 7. „Quod scribis te velle scire, *qui* sit reipublicae status, summa dissensio est." Vide Kritz. ad Sallust. 44, 5. Zumpt. §. 184. n. Grotef. §. 113. Grysar. p. 88.

16. *Certa*] i. e. in quaque causa data et destinata, ut ambigere fere oratorem non oporteat. *Wolff*. Mire Herzog. vertit „*ausgemacht wahr*."

immutescamus] Rarioris usus hoc verbum etiam occurrit apud Statium VI, 184. „Sic fata repente Concidit abruptisque immutuit ore querelis." ubi tamen quidem codices *obmutuit*: sed Barthius ex simillimo loco V, 542. defendit *imm.* *Burm.* Ex Herzogii praecepto *immutescit* qui nihil in mente sua habet, quod proferat et dicat; *obmutescit* qui propter externas causas nihil dicit. — De sequente *aliequi* vide ad 1, 64.

17. *Diversum — huic*] Plus semel *diversus* = *contrarius* apud Fabium cum dativo iunctum reperitur.

per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc *silvam* vocant; repetunt deinde et componunt quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas. Protinus 18
ergo adhibere curam rectius erit atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequimur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.

Satis apparet ex eo, quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi deliciis sen-

---

§. 18. *sequimur*] Sic optt. codd. pro *sequemur*. Vid. annot.

---

ex tempore] i. e. *sine praevia meditatione*, ἀπὸ καιροῦ, ἐκ τοῦ παραχρῆμα, ἐκ τοῦ παραυχόντος, ἐξ αὐτοσχεδίου, αὐτόθεν.

silvam] Graece ὕλην, qua metaphora in universum multarum rerum rudis congeries vel materia significatur, *rohe Masse, unverarbeiteter Stoff*. V. Ernest. p. 359. Herzog. interpretatur *Brouillon*.

verba emendantur et numeri] Multo maiore vi haec dicta quam *verba et num. em.* Cf. Grotef. §. 582. cl. §. 360.

quae fuit levitas] Sic §. 20. „*quae erat — intentio.*" Potissimum addito adverbio aut temporis aut loci sic loquuntur Latini, ut *qui tum erat, damalig; qui ante fuit, vorig; qui nunc est, jetzig; qui ibi (alibi) est, dortig (anderwärtig)*. Contra Graeci ὁ τότε, ὁ πάλαι, ὁ νῦν, ὁ ἐκεῖ et similia frequentant.

18. *opus ducere*] Spald. ad II, 17, 8. metaphoram ductam dicit de artificibus, qui formas *fingunt* ex materia molli, ut cera, luto. Cf. infra 5, 9. Horat. Sat. I, 10, 44. Virg. Aen. VII, 634. Plin. N. H. XXXIII, 45. Senec. Ep. 65. At Heindorf. ad Horat. l. l. dicendi formam a nendo *(Spinnen)* repetit. Sic Horat. Ep. II, 1, 225. „tenui deducta poemata filo." Ovid. Trist. I, 11, 18. „tamen ipse trementi Carmina ducebam qualiacunque manu." Equidem lectores admonitos velim locutionum *fossam — murum — vallum ducere s. perducere*.

Aliquando — sequimur] In hisce non est praeceptum, ut futuro opus sit in verbo; sed quo interdum spectet consilium orantis ostenditur, cui sane illam, cuius ante mentio fuit, velocitatem magis conducere quam consideratam nimis diligentiam. Ita modo §. 15. quae sit perpetua naturae ratio definiebatur, *praescribit*, non quid certo cogitandi modo usurpato eventurum sit. *Sequimur* interpretare *sectamur, quaerimus. Spald.* Paullo aliter Wolffius: „*sequi* iisque *indulgere* solemus et possumus." Sequor Spaldingium. *Frotsch.* Recte Wolff. Nam affectus suos *sequuntur* qui iis *indulgent, parent, obsequuntur, se dedunt*. Sic §. 17. „*sequentes* calorem atque impetum." Vide Herz. ad Vers. Germ. p. 159. sq.

dictandi deliciis] Scilicet iam tum notabilis erat ea mollities, ut

tiam. Nam in stilo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem eius manus: ille, cui dictamus, urget atque interim pudet etiam dubitare aut resistere aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostrae timentes. Quo fit, ut non rudia tantum et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant: quae nec scribentium curam nec dicentium impetum consequantur. At idem ille, qui excipit, si tardior scribendo aut incertior legendo velut offensatus fuerit,

§. 20. *tardior — fuerit*] Alii aliter hunc locum tentarunt. Vulgo *tardior in scr. aut inertior in leg. velut offensator fuerit.* Codices fere exhibent *tard. scr. a. incertior et diligendo* (*et* om. Alm.) *offensatus* (*offensatur*, *offensatum*) *fuit.* Spald. malebat *t. s.* (sive *in s.*) *a. incertior, et delendo velut offensator fuit* (sive *fuerit*). Gernh. cum Frotsch. scripsit: *t. s. a. ine. et dilig. v. offensatur, inhibetur* etc., ut *diligendo* sit *verborum compendiis diligendis.* Nos secuti sumus Zumptium.

circa scribendi artem negligentiores essent homines in aliquo fastigio constituti (v. I, 1, 28.); quae postea ita invaluit, ut *dictare* iam esset eruditorum hominum opus, quemadmodum antea *scribere.* *Gesner.* De Plinii utriusque consuetudine idem conferri iubet Epist. III, 5, 15. IX, 36, 2. 40, 2. Dictandi morem iam diu ante Quintilianum viguisse, intelligitur e Cic. Brut. 22, 87., ubi Ser. Galba traditur servorum litteratorum alii aliud *dictare* eodem tempore solitus esse. Adde Epist. ad Attic. XIII, 9. „Non modo Tironi *dictare*, sed ne ipse quidem auderem scribere."

19. *ille, cui dictamus*] Ciceroni in Brut. 22, 87. est *scriptor*, Plinio Ep. III, 5, 15. et IX, 36, 2. *notarius*, i. e. *ταχυγράφος*, qui adhibitis notis sive compendiis celerrime quamvis loquentis voces excipere posset. Gesnerus ad priorem Plinii locum haec annotans confert Manil. IV, 160. „*Scriptor velox*, cui litera verbum est Quique notis linguam superet cursimque loquentis Excipiat longas nova per compendia voces." et Martial. XIV, 208. „Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus." Mox §. 20. est „*ille, qui excipit.*"

resistere] i. e. *restare, cursum inhibere, non ultra progredi*, et translate, *obmutescere.* XI, 2, 46. „Inde interruptus actionis impetus et *resistens* ac salebrosa oratio." Virg. Aen. IV, 76. „media voce *resistit.*" Cf. supra §. 10. 7, 14. IX, 3, 55. XI, 3, 121. Similem usum habet *intersistere* 7, 10.

20. *impropria*] sunt quae *significatione deerrant* (I, 5, 46.) nec significant quae volumus. Et sunt in vitio. Vid. Spald. ad VIII, 2, 6. cf. ibid. §. 8. *Fr.*

inhibetur cursus atque omnis quae erat conceptae mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur. Tum illa, quae altiorem animi motum sequuntur 21
quaeque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere vultum, sinum et latus interim obiurgare, quaeque Persius notat, cum leviter dicendi genus significat:

Nec pluteum, inquit, *caedit nec demorsos sapit ungues;*

etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. Denique ut 22
semel quod est potentissimum dicam, secretum in dictando perit. Atque liberum arbitris locum et quam

---

conceptae] Alii e Regii coniectura *concepta*. Vid. annot. — §. 21. *altiorem*] Amb. 2. *abtiorem*. Tur. Fl. Camp. Bern. Colon. (1527.) *aptiorem*. Aliquot edd. *apertiorem*, quod recepit Frotsch., ut intelligatur *affectus, qui se aperit* s. *prodit*; quod num bene et apte dicatur, recte dubitat Herzog. — *sinum et latus interim*] de coniectura Censoris Ien. edit. Spald. dedit Frotsch. pro vulgata: *simul vertere latus et interim*. Tur. *sinti elatus int.* Fl. *simul et elat. int.* Guelf. *simul et interim*. Zumpt. edidit *scindere latus, int. obi.* Herz. *vultum simul et latus et int. obi.* — §. 22. *potentissimum*] Herz. et Aug. *potissimum*, quod hic optt. exhibent. Cf. Titz. ad Plin. Ep. IV, 4, 1. — *Atque*] Spald. *Atqui*. Sed v. ann.

---

conceptae mentis] Optime, ut mihi videtur, Gernhard. intelligit *mentem quae se concepit* seu *collegit*, conferri iubens quod nostrates vulgo dicant *seinen Verstand zusammen nehmen*. Idem comparat I, 2, 29. „non *idem mentis — concipere* — quod illa celebritate audientium instructos."

21. *ipsa*] i. e. *per se*. Sic §. 23. „quae *ipsa* delectant." At Herzog. convertit *ebenfalls*.

obiurgare] i. e. *increpare et fodicare*. Vid. Brem. ad Sueton. Calig. 20.

Persius] Sat. I, 106. Cf. Horat. I, 10, 71. ibique Intpp.

leviter dic. genus] Cave cum Gesnero praeferas *leniter*. Est genus dicendi negligentia corruptum, in quo summa est *levitas*, rerum pondere carens, nulla *lenitas*. cf. §. 17. „in rebus — *levitas*." *Sp.*

ridicula — nisi sumus] Quae hic nisi solum decere negat, eorum similia qui uno modo praesente faciat, furiosum paene iudicat I, 2, 31. Utrumque tamen recte et congruenter. *Sp.*

22. *Atque*] Quemadmodum *atque* 2, 20. dicebatur in *praesumptione* sive *praeoccupatione*, sic h. l. inservit *assumptioni*. „Nam eam vim habet haec particula, ut aliud quid adiiciat aequali ex ratione, quo simul comprehenso conclusio conficitur: nec tamen necesse

altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque, quod illa coeli libertas locorumque amoenitas sublimen animum
23 et beatiorem spiritum parent. Mihi certe iucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa, quae ipsa delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: et quo-

---

locorumque] Tur. et Fl. omittunt *que*, ut saepe. Sic iidem §. 24. *volucrum*. Alia dedimus ad 2, 13. Parum certe hic placet asyndeton. — §. 23. *certe iucundus*] Fl. inserit *vim demoni*. Alm. *videmoni*. Inde Frotsch. efficit *ut Demostheni*. Contra Zumpt. scripsit *vivendi iucunde*. Baden nuper proposuit *vitae deorum iucundus*. cl. Cic. N. D. I, 19, 51. Sed quum Tur. vulgatam exhibeat, illud *videmoni* sequenti *videtur* originem suam debere puto. — *illa, quae ipsa*] Sic optt. lib. pro *illa ipsa, quae*.

---

est conclusio ipsa verbis exprimatur. Quam formam grammatici cum logicis assumptionem vocant. Nos Germani quum in ea adhibemus vocabula *nun* et *nun aber*, significamus aliam rem aequaliter esse considerandam. Tantum vero abest, ut illud *aber* etiam particula latina significetur, ut ipsa hac re distinguatur ea ab vocabulo *atqui*, cui propria vis adversativa inhaeret. In particula *atque* oppositio est nulla, certe non exprimitur una hac vocula. Contrarium apparet in *at* et distincta cum relatione in *atqui*. Quod autem in plurimis exemplis proxime sequitur pronomen personale vel demonstrativum, id aequationis vi efficitur." *Hand*. Turs. I. p. 492. Quomodo Herzog. reddendam particulam censuerit per nostrum *denn*, equidem non perspicio.

aptissima in hoc] Liv. XXXVIII, 21. „Deprehensi genere pugnae, *in* quod minime *apti* sunt." Ovid. Metam. XIV, 765. „formas deus *aptus in* omnes." Sententiae causa cf. Tac. dial. 9, 10. Plin. Ep. I, 6. IX, 36, 6. Verba *nemora et luci*, desumpta illa haud dubie ex vetere aliquo poeta, iuncta leguntur apud Tacitum l. l. et Germ. c. 9, 5. 10, 17. Plin. Ep. IX, 10, 2. Quintilianus *lucos* mutavit in *silvas*. Cf. Cic. de Div. I, 50, 114. Burmann. ad Lucan. I, 453.

beatiorem spiritum] Cf. 1, 109. cl. 61. et Horat. A. P. v. 409. ubi eodem sensu *dives vena* memoratur. — Ne cum Schelio ad Tac. dial. c. 12. coniicias *pariant* pro *parent*, cf. Ovid. Art. I, 237. „Vina *parant* animos." et Remed. 805. „Vina *parant* animum veneri." Quos locos indicavit Burm.

23. *bona fide*] Badius interpretatur *sedulo et diligenter*. Spald. *plane, prorsus*. Rectius Wolff. *ut non fallat, sed officiis suis probe sufficiat, mit gutem Gewissen*. Cf. 7, 1. Sumptam esse locutionem de iure, docet Heusing. ad Cic. Off. III, 15, 2.

cunque respexit, desinit intueri quod propositum erat. Quare silvarum amoenitas et praeterlabentia flumina 24
et inspirantes ramis arborum aurae volucrumque cantus et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem quam intendere. Demosthenes melius, qui se 25
in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, 26
tum in hoc praecipue bona valetudo quaeque eam maxime praestat, frugalitas necessaria est: cum tem-

---

respexit] Al. *respexerit*. At v. Zumpt. Gr. §. 521. — §. 25. *Ideoque*] Camp. *Ideo*, quod placebat Spaldingio. Tu v. ad §. 16. — *velut tectos*] Tur. Flor. *et velud rectos*. Guelf. Camp. Alm. Voss. 1. 2. Goth. Bern. Amb. 2. et edd. ante Leid. acc. Gibs. *velut rectos*. Coniecturae virorum doctorum sunt: *velut erectos* (*arrectos*, *erctos*, *recinctos*), *vel adrectos*, quibus omnibus potior vulgata est, quam interpretantur *velut subterraneo quodam loco absconditos* (*sepulcro reconditos*, *carceri inclusos*).

---

quod propositum erat] sc. *ante quam respexit*. De vi ac potestate huius verbi v. ad 7, 7.

25. *Demosthenes melius*] Verbum in hac similibusque locutionibus omitti solere, dictum supra ad 2, 24. De re ipsa conferunt Plutarch. in Vita Demosth. c. 7. De reliquis viri exercitationibus et laboribus in vincendis naturae impedimentis vide quae ibidem enarrantur: quibus adde Quintil. XI, 3, 54. Cic. de Orat. I, 61, 260. sq. Valer. Max. VIII, 7, 1. Liban. in Vita Demosth. p. 4. ed. Reisk. Pseudo-Plutarch. X oratt. vit. c. 8.

ne — cogerent] Sponte patet, haec verba ad posterius tantum membrum respicere. — *Aliud agere* dicuntur qui non id agunt quod propositum est.

Ideoque — teneat] In brevius contraxit quae sic efferri poterant: „Ideoque lucubremus (utile erit lucubrare), ita ut silentium — nos teneat." Sententia fere eadem legitur apud Plin. Ep. IX, 36. init. — *Lumen* non raro dici pro *lucerna*, annotavit Frotsch., cl. Cic. de Div. I, 36. „Noctu *lumine* apposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem."

26. *tum in hoc*] quo lucubratur. Patet autem, hic genus studiorum non tam de specie quam de modo, ratione dici. *Wolff*. De adiecto *praecipue* v. ad 1, 7.

frugalitas] i. e. *modestia*, *temperantia*, ut interpretatur Cic. p.

pora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est quam quod somno su-
27 pererit, haud deerit. Obstat enim diligentiae scribendi etiam fatigatio: et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus.

28 Sed silentium et secessus et undique liber animus ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere, ideoque non statim, si quid obstrepet, abiiciendi codices erunt et deplorandus dies, verum incommodis repugnandum et hic faciendus usus, ut omnia quae impedient vincat intentio: quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quae oculis vel auri-

---

§. 28. *impedient*] Alm. Voss. 1. *impediant*, quod Ciceronianam rationem postulare dicit Zumpt., Quint. usum non item. Al. *impediunt*.

Deiot. c. 9. Neque vero ad solum victum et cultum, ut ap. Plin. Ep. I, 22, 4., sed passim ad universam vivendi rationem atque bonitatem morum refertur. Spald. laudavit I, 6, 17. XI, 3, 19. XII, 1, 8.

quod somno supererit] Illud intelligitur tempus quod nimium a plerisque somno concedi solet; *deest* autem quidquid corpori reficiendo parum est. *Sp.* *Irrogare* h. l. est *assignare*, *tribuere*, *impendere*. *Fr.*

27. *si vacet — occupatos*] Attende opposita, grate variata structura. *Spald.*

lucis] Hac voce significatur dies, quando tenebris noctis opponitur. Vid. Grysar. p. 147.

28. *undique liber animus*] Hanc locutionem Herzog. ex Graeco more, *νοῦς πανταχόθεν ἐλεύθερος ὤν*, ductam censet et causam structurae in significatione adiectivi invenit, quippe quae proxime ad vim ac potestatem participii accedat.

codices] Plane pro *codicillis*, *pugillaribus* (cf. §. 32.), quales sunt apud Plinium Ep. I, 6. IX, 36. instrumenta laboris extemporalis. *Sp.*

hic faciendus usus] Simili modo hic *facere* dicitur, ut in *viribus faciendis* §. 3. *facienda forma* 6, 3. *Sp.* Cf. 2, 2. „ut scribendi *fiat usus*." Nullam autem hic invenio hypallagen epithetorum (vid. supr. §. 2.), quam statuit Herzog., qui vernacula reddidit: *und* (man muss) *dahin durch Uebung zu wirken suchen*, latinae: *hoc usu adsequendum*.

auribus incursant, ad animum perveniet. An vero 29
frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus et itinere deerremus: non consequemur idem, si et voluerimus? Non est indulgendum causis desidiae. Nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes studendum existimaverimus, semper erit propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conviviis 30
etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circumstantibus iudiciis, iurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus?

---

incursant] *occurrunt, obiiciuntur*, ut interpretatur Forcell. in Lex. Est autem aoristus praesentis: alioqui dicendum fuisset *incursaverint*.

29. *si et voluerimus*]. Etiamsi actiones, quae verbis *posse, velle* etc. declarantur, continuari necesse sit, dum actio ab iis profecta perficitur, tamen *potestas, voluntas* etc. praecedere etiam debent ipsam rem, nec quisquam unquam rem aggreditur, nisi potestas ac voluntas eam et suscipiendi et perficiendi ante affuerit. Ita, si sententiam spectes, nihil omnino interest inter *si potuero, si voluero* et *si potero, si volam*, sed utram locutionem eligere velit scriptor, in ipsius arbitrio positum est. *Matthiaeus* Excurs. de usu fut. ex. Lat. ad Cic. Cat. IV, 6, 11. Idem praeceptum cadit in formas *si licuerit, si placuerit, si quid fuerit loci* et similes.

nobis ignoscamus] i. e. *indulgeamus, parcamus*.

30. *Quare in turba — secretum*] Quemadmodum Plinius maior in *balneis, conviviis, lectica* semper aut scribebat aut legebat. Tempus enim perire arbitrabatur quod studiis non impenderetur (Plin. Ep. III, 5.). Sic Cato Uticensis in curia, dum senatus cogeretur, legebat (Cic. Fin. III, 2.). *Turneb.*

tot circ. iudiciis] In una basilica quatuor simul iudicia, quatuor tribunalia, ubi non adversarii modo, sed vocaliores etiam patroni metuendi erant. *Gesn.* ad Plin. Ep. I, 18, 3. Cf. Quint. XII, 5, 6.

subito] *ex tempore*, ut 6, 5. 7, 7. Sic *subita* opponuntur *meditatis*. Plin. Ep. I, 16, 2. „sive *meditata* sive *subita* proferret." Cf. ibid. II, 3, 2. „Multa lectio in *subitis*, multa scriptio eluceat." Hinc intelligitur *subita agendi necessitas* 7, 2. 22. Cf. etiam 7, 30. „*subitis* ex tempore occurrere."

si particulas — non poss.] Quum praecederet *alioqui*, quae coniunctio loco enuntiationis est conditionalis (v. ad 1, 64.), tota haec sententia redundaret, nisi ea novam quandam inferret cogitationem, hanc scilicet, lucubrando meditandoque nonnisi particulas orationum et, ut Spaldingii verbis utar, disiectos sensus effingi.

Propter quae idem ille tantus amator secreti Demosthenes in litore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expavescere.

31 Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infir-

---

§. 30 *in quod*] Zumptius *in quo* cum Tur. Flor. Guelf. Camp. multisque aliis. Sed recte dicit Herzog., accusativum propius accedere ad usum dativi, qui frequentetur scriptoribus. — §. 31. *parvum*] Alii *parum*, quod Tur. Flor. Camp. Alm. et marg. ed. Col. (1527.) exhibent. Gernhard. comparavit IX, 2, 16 „Id neque in aliis partibus *parum est*;" ubi cum Zumptio scribendum *rarum*.

---

idem ille — Demosthenes] sc. cuius mentionem fecimus supra §§. 23. et 25.

maximo cum sono] Sic *magno cum periculo*, *magno cum dolore magna cum contumelia*, *magna cum cura*, *multis cum lacrimis* et similia frequentantur. Vide Herz. ad Caes. B. G. I, 10 Grys. p. 645. n. 10. Zumpt. §. 472.

consuescebat — non expavescere] i. e. *sustinere*, *tolerare*. Similiter Plin. Ep. III, 5, 16. „Poteras has horas *non perdere*." De consilio Demosthenis rhetori convenit cum Libanio, qui illum oratorem ait τῷ τῆς θαλάττης ἤχῳ συνεθίζεσθαι φέρειν τὰς τοῦ δήμου καταβοάς. Sed secundum Ciceronem Fin. V, 2. Demosthenes ad fluctum declamare solitus est, *ut fremitum adsuesceret vincere*.

31. *scribi opt. ceris*] Spaldingio necessarium videbatur *in ceris*, quod est in Fl. a sec. manu. At *ceris* = *tabulis ceratis* est ablativus instrumenti, ut XI, 2, 32. „Illud neminem non iuvabit, iisdem, *quibus scripserit*, *ceris* ediscere." — *Optime* adverbium totius enuntiationis vices implet. Dici enim potuit *optimum esse scribi ceris*. Plane sic §. 33. „ideoque *optime* sunt in deposito."

facillima — ratio delendi] Stilus enim, quo in tabulis cera illitis scribebant veteres, ab altera parte obtusus erat et planus ad delendum, si opus esset, quod scriptum fuerat et ad complanandam ceram. Cf. Cael. Symphos. in aenigm. de stilo apud Pithoeum p. 584. „De summo planus, sed non ego planus in imo, Versor utrinque manu, diverso et munere fungor: Altera pars revocat quidquid pars altera fecit."

nisi forte] Hoc quidem loco nulla huic formulae admixta ironia, quam ei inesse vidimus 1, 70.

visus infirmior] Ceras oculis obfuisse etiam Martialis testatur 14, 5. *Aug.* Quod non scripsit Fabius *visus infirmus*, quod ad nostram rationem accederet, est inde explicandum, quod utriusque linguae scriptores, quidquid plus minusve est quam esse vel debet vel solet vel exspectatur, comparativo fere efferunt.

mior membranarum potius usum exiget: quae ut iuvant aciem, ita crebra relictione, quoad intinguntur calami, et repetitione morantur manum et cogitationis impetum frangunt. Relinquendae autem in utrolibet 32
genere contra erunt vacuae tabellae, in quibus libera adiicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt aut certe novorum interpositione priora confundant. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus iuvenem studiosum alioqui praelongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur, idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in 33
quo notentur quae scribentibus solent extra ordinem,

---

crebra — morantur] Vulgo *crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur.* Codices dant *crebro relationi (relationis) quod (quoad) inguitur (iungitur, intinguntur) calami repetitione m.* Burmannus coniectat *crebra, quoad tinguitur, calami repetitione.* Hermannus apud Frotscherum *crebra relictionis — repetitione* i. e. *crebra relictione.* Nostrum dedit Zumptius, qui intelligit *membranarum*, quas manus crebro et relinquit et repetit. — §. 32. *interpositione*] Tur. pr. m. et Alm. *interpositionem.* — *confundant*] Ita optt. codd. pro *confundunt.* Al. e probabili coniectura *confunduntur.*

---

32. *in utrolibet genere*] sive in ceris scribitur sive membranis. *Fr. contra*] *ex adverso* iis quae scripta sunt, quod etiam dicitur *e regione, gegenüber.* Sequens *vacuae* pro praedicato est, velut apud Caes. B. G. IV, 37. „Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens *pacatos reliquerat.*" Non satis accurate Herz. interpretatur: gegenüber *leere Blätter* lassen.

priora confundant] Plin. Ep. VII, 9, 6. „*nova* velut *membra* peracto corpori intexere, nec tamen *priora turbare.*" Qui locus nostro simillimus non favet scripturae *interpositionem.* Coniunctivus *confundant* ex sententia Spaldingii recte ponitur, cum demonstretur, quod fieri possit alio quodam eveniente; nec similem esse rationem putat in *faciunt*, ubi adiiciatur *interim.* Herzog. quoque praetulit coniunctivum, quo tamen metum potius animi significari dicit, ne tale quid accidat. Verior Spaldingii interpretatio. Cf. Zumpt. Gr. §. 527.

latas — ceras] Eodem iure poterat monere, ne literae nimis magnae scribentem morentur; ne tenuiores iusto obtundant aciem aut longas nimis orationes eadem ratione, qua latiores ceras, efficiant. *Gesn.*

id est ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpent enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet neque differre tutum est, quia interim elabuntur, interim memoriae suae intentos ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in deposito.

CAPUT IV.

QUOMODO EMENDANDUM.

1. Sequitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est stilum non minus agere, cum delet. Huius autem operis est

---

33. *qui sunt in manibus*] i. e. *qui nunc cum maxime tractantur.* Vid. Zumpt. §. 316. Sic *liber* dicitur *esse in manibus* auctoris, cum hic illi componendo, poliendo emendandoque operam dat. Cf. Cic. ad Att. IV, 13. et XIII, 47, de Senect. 11, 38. Sed *in manibus* esse dicitur etiam liber, qui ubique exstat et ab omnibus legitur. Sic Plin. Ep. I, 2, 6. „libelli, quos emisimus, dicuntur *in manibus esse*, quamvis iam gratiam novitatis exuerint." Cic. de Sen. 4, 12. „*Est in manibus* laudatio: quam cum legimus, quem philosophorum non contemnimus?" Cf. supra 1, 126. Duplici hac significatione dicitur etiam *haberi in manibus*. Minus frequens est locutio *inter manus habere*, quae est apud Plin. Ep. II, 5, 2. „Nihil enim adhuc *inter manus habui*, cui maiorem solicitudinem praestare deberem." et V, 5, 7. „nec dubito te quoque eadem cogitatione terreri pro istis, *quae inter manus habes.*" Graeci quoque minus frequentant μετὰ χεῖρας ἔχειν (Thuc. I, 138. Herodot. VII, 16.) quam ἐν χερσὶν ἔχειν. Quod in Tacit. Dial. de Oratt. c. 3, 1. exstat, *intra manus habere*, vix Latinum esse crediderim.

sensus] *sententiae*, *Gedanken.* VIII, 5, 1. „*Sententiam* veteres quod animo sensissent vocaverunt. — Non raro tamen et sic locuti sunt, ut *sensa* sua dicerent: nam *sensus* corporis videbantur. Sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta *sensus* vocaremus, lumina autem, praecipueque in clausulis posita, *sententias.*" Cf. infra 5, 5. 7, 6. Plin. Ep. II, 3, 2. Tacit. Dial. 22, 3. 6. 32, 3.

memoriae suae] i. e. *memoriae sui* (sc. sensuum). Saepe autem pronomina possessiva pro personalibus ponuntur ad declarandum genitivum obiectivum, quem vocant. Vid. Grotef. §. 116. 1. Zumpt. §. 424.

in deposito] Ex iure petita locutio. Pandect. 36, 3, 5. „*habere in deposito.*" *Aug.*

CAP. IV.

1. *creditum est*] *est* creditur vulgata opinione.

cum delet] cum luxuriem illam, quae in summa ubertate inest, depascitur (Cic. de Orat. II, 23.). *Sp.*

adiicere, detrahere, mutare. Sed facilius in iis simpliciusque iudicium, quae replenda vel deiicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia astringere, inordinata digerere, soluta componere, exultantia coercere, duplicis operae. Nam et 2
damnanda sunt quae placuerunt et invenienda quae fugerant. Nec dubium est optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponuntur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandiantur. Sed neque hoc contingere semper potest, 3

CAP. IV.

§. 2. *placuerunt*] Ita Tur. Camp. Tur. pro vulg. *placuerant*. Alia ratio est sequentis *fugerant*.

---

adiicere, detr., mut.] Plin. Ep. III, 10, 5. „si qua existimatis *addenda, commutanda, omittenda*.

replenda — deiicienda] Exquisitius variata verba pro *adiiciendo* et *detrahendo*. Illius commoda in Lexicis afferuntur exempla Digest. XLII, 1, 4. „lege *repletur* quod sententiae *deest*." et Ovid. Her. X, 87. „quod voci *deerat*, plangore *replebam*." Huius, rarioris item significatus, mentionem habet Ernestus in Clave Cic. *Sp.*

premere — tumentia] Quoniam *premendo* auferuntur quae physice tument, propterea etiam *premere* orationem *tumentem* dixit pro *plus simplicitatis ei dare*, *Gierig*. Sed vid. ad 1, 44.

inordinata digerere] Non agitur nunc de dispositione, sed de elocutione; itaque haec intelliges de ordine, qui cernitur in compositione. Cf. IX, 4, 23 — 32.

soluta componere] i. e. *numeris astringere, verba vincere numeris, ne vagentur*. Apud Cic. Orat. 19, 64. oratio philosophorum dicitur *non vincta numeris*, sed *soluta liberius*. Cf. ibid. c. 57. et de Orat. III, 44. Ernest. p. 265. sq. Ad numeros etiam referes *exultantia*, de quibus diximus ad 2, 16.

2. *ad ea — velut nova*] Sic §. 3. „qui *ad* omnia scripta *tanquam vitiosa* redeant." Sed non ubique in comparationibus post *velut, tanquam, quasi* praepositio reticetur: imo in plerisque locis illud, quocum comparatur aliquid, ita distinguitur a nomine antecedenti aut tanta vi effertur, ut necessario iteranda sit praepositio. Cf. Plin. Ep. III, 20, 7. „*ad tacita suffragia quasi ad remedium* decurrerunt." Cic. Off. III, 2, 6. „Suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi: *ad quos* cum *tanquam ad mercaturam* bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est." Adde de Senect. 2, 5. 23, 84. Ramsh. Gr. Lat. §. 161. 2. p. 376. sq. De Graecorum usu v. Matth. Gr. §. 595. 4. Bernhardy. Synt. p. 204.

praesertim oratori, cui saepius scribere ad praesentis usus necesse est: et emendatio finem habeat. Sunt enim qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant et, quasi nihil fas sit rectum esse quod primum est, melius existiment quidquid est aliud, idque faciant, quoties librum in manus resumserunt, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque, ut cicatricosa sint et exsanguia et cura peiora. Sit ergo aliquando quod placeat aut certe quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque esse de-

---

§. 3. *resumserunt*] Sic optt. codd. pro *resumserint*. Zumpt. *resumpserunt*.

---

3. *finem habeat*] In coniunctivo inest praeceptum, ut mox dicitur: „*Sit ergo aliquando quod placeat.*" *Fr.*

omnia scripta] Hic non *scripta*, sed *omnia* pro substantivo accipi debet. *Wolff.* Hoc praecepto nihil falsius. Si *omnia* substantivi vicibus fungi voluisset Fabius, dicendum ei fuisset *omnia, quae scripserunt.* Paullo ante erat *scripta nostra.*

Accidit itaque] Quintiliani aetate *itaque* et *namque* etiam secundum locum occupant. Vid. Zumpt. §. 355.

cicatricosa] Hac metaphora Quintilianus cum eleganti significatione utitur, ut declaret, nimia emendandi, circumcidendi limandique cura saepe peiorem orationem fieri quam ante fuerit, veluti qui nimium secant medici, et cicatrices multas faciunt et boni sanguinis multum profundunt. Ita et oratio cicatricosa et exsanguis fieri potest, quae antea satis recta et speciosa et valida erat. *Ernest.* p. 55. Efficitur igitur cicatricosa oratio nimia illa scriptoris contra se calumnia, de qua cf. 1, 115. et 2, 17. — Oratio *exsanguis* secundum Ernest. p. 159. est exilis, tenuis, nullo cum ornatu, elegantia et artificio oratorio elata et veluti expolita. Illa plerumque philosophorum esse solet, qui rerum veritatem, non verborum et orationis copiam atque elegantiam sectantur; haec oratorum propria. Vid. Cic. de Orat. I, 12. Fit autem *exsanguis* eorum oratio, qui, ut Cicero ait in Brut. 82, 283., nimium inquirentes in se atque ipsi sese observantes metuenterque, ne vitiosum colligant, etiam *verum sanguinem* deperdunt. Cf. ad 1, 115. et 2, 17.

cura peiora] Memorabile est praeceptum: *Nocere saepe nimiam diligentiam.* Laudant interpretes Plin. N. H. XXXV, 10. et Suet. Tib. c. 70. Adde Plin. Ep. IX, 35, 2.

4. *Sit ergo*] Recte Spaldingius ex optt. codd. *ergo* pro *igitur* restituit. De vario usu huius particulae cum imperativo, coniunctivo et futuro coniunctae disputat Hand. Turs. II. p. 451. sq. et p. 453. Nostro loco *ergo* idem valet quod *quum ita sit, darum, also:* per consequentiam enim scriptor emendationi finem aliquando imponi iubet.

poliat — non exterat] Plin. Ep. V, 11, 3. „Perfectum opus abso-

bet modus. Nam quod Cinnae Zmyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cuius nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

CAPUT V.

QUAE SCRIBENDA MAXIME.

Proximum est, ut dicamus *quae praecipue scribenda sint.* Hoc exuberantis sit quidem operis, ut 1

---

§. 4. *Zmyrnam*] Al. *Smyrnam* Cf. Spald. ad IX, 2, 64. et Weichert. Poett. Lat. p. 169. — *parcissime*] Tur. *partissimum*, a sec. m. *parcissimum*, quod recepit Frotsch., cl. Liv. XXI, 38., cuius tamen loci non eadem ratio est.

§. 1. *scribenda sint*] Al. *sunt*, qui indicativus hic quidem parum placet. Cf. 3, 4. extr. Zumpt. §. 555. Grotef. §. 564. cl. Ramshorn. p. 497. n. 2. Statim multi libri *quae sunt mat.*, non magis recte. Cf. 7, 5.

---

lutumque est, nec iam splendescit lima, sed atteritur." Idem IX, 35, 2. „Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. Est tamen aliquis modus, primum quod nimia cura *deterit* magis quam *emendat;* deinde quod nos a recentioribus revocat, simulque nec absolvit priora et inchoare posteriora non patitur."

quod — accepimus] *was das betrifft, dass* etc. Vide Zumpt. §. 629. et 630. Grysar. p. 221. Grotef. §. 294. Male hodie loquuntur: *quod attinet (pertinet, spectat) ad id, quod.* — Rem hic memoratam testatur Catullus, Cinnae familiaris, hoc epigrammate: „*Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem, Quam coepta est, nonamque edita post hiemem*" etc.

qui parcissime] Alii enim quindecim annos assignant, ut Plutarchus narrat in vita Isocratis. *Sp.* Cf. Dionys. Hal. Compos. Verb. p. 208. Reisk. Vol. V. *Ὁ μὲν γὰρ τὸν πανηγυρικὸν λόγον, ὡς οἱ τὸν ἐλάχιστον χρόνον γράφοντες ἀποφαίνουσιν, ἐν ἔτεσι δέκα συνετάξατο.*

elaboratum] Cicero quoque eiusque aequales genere passivo frequentarunt *rem elaboratam*, ut Brut. 7, 26. *elaborata dicendi vis.* Cf. ibid. 90, 312. Orat. 11, 36. Sed abstinuerunt iidem a locutione *elaborare aliquid*, quae in usu est poetis, ut Horatio, vel prosae scriptoribus recentioris aetatis. Sic Quint. VI, 3, 68. „*Age*, inquit, *aliquid et rei publicae causa elabora.*" Vide Grysar. p. 281. et Dronk. ad Tac. Dial. 6, 8. Quomodo *laborare* et *elaborare in aliqua re* significatione differant, idem docet Grys. p. 320. cf. Gernhard. ad Cic. Caton. 7, 26. p. 46.

nihil pertinet] *οὐδὲν προσήκει.* Sic 1, 67. Sed ib. 34. „*non* ad praesentem *pertinens* locum." V. Zumpt. §. 677. Grysar. p. 525.

explicemus quae sint materiae, quae prima aut secunda aut deinceps tractanda sint: nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum, et secundo, quo robustiorum studiis ordinem dedimus: sed, de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maxime veniat.

2 *Vertere Graeca in Latinum* veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere

---

exuberantis sit quidem] Ita bonorum codd. vestigia secutus Frotsch. Vulg. *exuberantis quidem est.* Sed nondum sanatum locum puto. De coniunctivo Frotsch. comparavit 1, 37. ubi vero est praeteritum. — *robustiorum*] Sic Tur. Cf. II, 2, 14. Non minus recte habet scriptura *iam robustorum.* Cf. 1, 131. Attamen Herzog. accuratius dictum fore ait *iam corroboratis viribus.* — §. 2. *iudicabant*] Tur. Fl. (hic a pr. m.) cum Alm. *iudicarant*, quod non debebat Frotschero probari.

CAP. V.

1. *primo — secundo*] Respicit I, 9. et II, 4. 10.

sed, de quo nunc agitur] Commodum *hoc* pro *quo* legendum suadet Gesnerus. Fortasse lenius *eo.* Recepta scriptura impeditam habet structuram, si ex illo *explicemus* repetitur explicandum est. *Sp.* Nihil habet vexatus hic locus offensionis, si animadverteris, posteriorem hanc periodi partem non ad verba, sed ad sensum superioris locutionis, quae ut XI, 1, 73., aliam oppositae huius sententiae formam exspectabat, esse comparatam. Nam *Hoc exuberantis — tractanda sint — sed — unde — veniat* dicitur pro *Non hoc, quod — operis, explicemus, quae — tractanda sint — —, sed* (id explicemus) *— unde — veniat. Gernh.* Minus placent quae Genslerus, Beierus, Hermannus ad expediendam loci structuram proposuerunt: quorum commenta vid. ap. Frotsch.

2. *Vertere Graeca in Lat.*] Plin. Ep. VII, 9, 2. „Utile inprimis et multi praecipiunt, *vel ex Graeco in Latinum vel ex Latino vertere in Graecum.*"

de Oratore] I, 34, 155. ubi Cicero Crassum haec facit loquentem: „Postea mihi placuit eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut quum ea, quae legeram Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea."

libros Platonis atque Xenoph.] non omnes quidem, sed illius Timaeum et Protagoram, huius Oeconomicum. Aeschinis quoque atque Demosthenis de causa Ctesiphontis orationes Cicero convertit (vid.

translatos. Id Messalae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitatio- 3
nis huiusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant et plurimum artis in eloquentiam intulerunt: et hos transferentibus verbis uti optimis licet:

---

ad 1, 22.): quarum quum Qu. non potuerit non esse memor, Ruhnk. in Praef. Rutilio Lupo praemissa p. 18. lacunam arguit in hoc loco. At illarum orationum mentio alienissima foret ab hoc loco, quo Fabius hoc significare voluit, Ciceronem ad comparandam sibi augendamque copiam ac facilitatem *adeo (quin etiam) philosophorum quorundam* libros transtulisse atque edidisse.

hoc genere] Mox est *ad hunc modum*. Cf. §. 7. „Nam si *uno genere* bene diceretur — Nunc verò *innumerabiles* sunt *modi*." Adde 3, 26. ibique annot.

ad hunc modum] int. *e Graecis in Latinum transferendo*. In formula *ad hunc modum* praepositionis vis eadem est quae in formula *ad exemplar* 1, 89. Cf. 2, 2. et Hand. Turs. I. 109.

cum illa — subtilitate] Plane sic Cic. Orat. 29, 108. „Ipsa enim *illa pro Roscio iuvenilis redundantia* multa habet attenuata." ubi huius breviloquentiae audacia ita offendit Schuetzium, ut suspicaretur Ciceronem scripsisse *illa* (sc. oratio) *pro Roscio in iuvenili redundantia*. Pari ratione Graece dixeris ἡ Ὑπερείδου ὑπὲρ Φρύνης λεπτολογία pro ἡ Ὑπερείδου ἐν τῷ ὑπὲρ Φρύνης λόγῳ λεπτολογία. Ceterum Phryne non Hyperidis actione, quanquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa, speciosissimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putabatur periculo liberata, teste Quint. II, 15, 9. Cf. Athen. Deipnosoph. XIII. p. 590. E., qui inter alia refert, post illam Hyperideam Phrynes defensionem γραφῆναι ψήφισμα, μηδένα ολιτίζεσθαι τῶν λεγόντων ὑπέρ τινος. Qua Athenaei narratione Wernsdorf. in Commentatione ad Plutarch. Quaest. Gr. I. p. 34. sqq. efficere studuit, in Areopago oratam Phrynes causam fuisse. Vid. ad 1, 107. Cui sententiae quae obstare videantur, paucis attigerunt Meierus et Schoemannus in praeclaro illo libro, qui inscribitur *Der Attische Process*, pag. 305. Cf. Heffter., *Die Athenäische Gerichtsverfassung* p. 149. et p. 327. — Excelluisse Hyperidem magis subtilitate quam robore, cognoscere licet ex ipsis veterum testimoniis.

3. *ratio*] Wolffio est *causa*, Frotschero *utilitas*, Herzogio *Zweckmässigkeit*. Ex mea sententia Qu. dicit manifesto apparere, qua ratione ducti veteres oratores hancce exercitationem commendaverint. Cf. 7, 14. „Deum tunc affuisse — dictitabant. Sed *ratio manifesta est. Nam* etc. Itaque assentior Wolffio. Provocat quidem Frotsch. ad §. 4. pr. At illa verba respiciunt ad initium sectionis 2. „Vertere Graeca — *optimum iudicabant*."

in eloquentiam intulerunt] Alibi est *inferre aliqui re*, ut §. 16. „*intulisse eloquentiae* lumen."

omnibus enim utimur nostris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est, quia plerumque a Graecis Romana dissentiunt.

4 Sed et illa *ex Latinis conversio* multum et ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare: quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest: et verba, poetica libertate audaciora, non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem.

---

§. 4. *Sed et*] In multis edd. est *Sed etiam*. Tu vid. Hand. Turs. II. 503. sq. et supra ad 1, 107. Mox iterum legitur. — *eadem*] Codd. *eandem*.

---

omnibus — utimur nostris] i. e. *omnia enim, quibus utimur, nostra sunt.*

Figuras] Quae hic significantur *figurae*, sunt illae verborum primum, deinde etiam grammaticae potius quam rhetoricae, quoniam id spectatur, quod Romani et Graeci sermonis diversitas facere vertentem cogit. Cf. I, 1, 13. IV, 2, 118. *Sp.* Plinius Ep. VII, 9, 2. „Quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, *copia figurarum*, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur."

4. *ex Latinis conversio*] Zumpt. §. 681. Similiter Plaut. Trin. III, 2, 86. „*in consilium accessio*."

multum et ipsa] i. e. *multum, et quidem per se:* quemadmodum explicuit Sarpius, immerito reprehensus a Frotschero. *Hand.* Turs. II, 478. Alias quoque *et ipse* sic iunguntur, ut significatio verbi *ipse* per se constet. Frotscheri rationi, quam amplexus est Herzogius, qui vv. *et ipsa* interpretatur *gleichfalls* (cf. ad 1, 31.), obstare videtur praecedens *et* (v. ad 1, 107.), quod si *et ipse* vulgari hic diceretur ratione, plane redundaret. Cf. etiam ad 1, 94.

Ac de carminibus quidem] Deinde §. 5. de vertendis *orationibus* Latinis pronuntiat. De particula *Ac — quidem* in transitu orationis ad rem per singulas partes accuratius definiendam disputat Hand. Turs. I, 502.

orationem] quae coram iudicibus vel concione habetur. *Wolf.* Equidem intelligi malim *locutionem oratoriam* vel etiam *prosam orationem*, ut apud Cic. Orat. 20, 70. „Huius ignoratione — saepissime et in *poematis* et in *oratione* peccatur."

audaciora] quam quae prosam deceant. *Wolff.* De huiusmodi comparativis diximus ad 1, 32. et 3, 31.

praesumunt] *in antecessum auferunt, praecipiunt, anteccapiunt.* Cf. Prooem. tot. operis §. 20. I, 1, 19. XI, 1, 27.

Sed et ipsis sententiis adiicere licet oratorium robur et omissa supplere, effusa substringere. Neque ego 5 paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia, optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. Nisi forte histrionum multa circa 6 voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis,

---

effusa] Sic optt. libri pro *et effusa*. Exit autem oratio, cuius priores partes nexae erant per copulam *et*, in formam dissolutam sive in asyndeton, quia postrema membra sibi sunt contraria, ut dici posset *effusa autem* (cf. tamen ad 1, 74. p. 68.) *substringere*.

---

eadem] sc. *quae verbis poeticis et impropriis et iusto audacioribus dicta sunt*. Cf. ad 1, 9.

effusa substringere] Plin. Ep. I, 20, 20. „Sed non minus non servat modum, qui — *astrictius* quam qui *effusius* dicit." Rarioris usus est *substringere* quam *astringere*. Laudarunt interpretes Tertull. de Oratione c. 1. „Quantum — *substringitur* verbis, tantum *diffunditur* sensibus." Cf. 4, 1. et de *effusis* ad 1, 62.

5. *paraphrasim — interpret.*] Prius esse subiectum, alterum attributum, annotavit Spald.

ab illis dissentio] In his est ipse Cicero, qui de Orat. I, 34, 154. Crassum introducit haec loquentem: „In quotidianis autem commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime —, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam quam legissem verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem." Cf. etiam Plin. Ep. VII, 9, 3.

6. *histrionum — gestus*] „Satis constat contendere eum (Ciceronem) cum ipso histrione solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret." *Macrobius* Saturn. II, 10.

ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod invenimus esse neque par: est certe proximus locus. An vero ipsi non bis ac saepius de eadem re dicimus, et quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno genere bene diceretur, fas erat existimari praeclusam nobis a prioribus viam. Nunc

7

---

§. 6. *esse*] Non optimae notae libri *sit*. — §. 7. *An vero ipsi*] Quod ad augendam vim additur *vero*, omittunt deteriores libri, interposito *non*, et statim plerique *nobis* vel *nos bis* exhibent. Vid. ann. — *uno genere*] Alii addunt *duntaxat* vel interponunt *tantum*, quod nulla nititur codicum auctoritate: nec opus tali particula, cuius notio ipsi numerali inest. Cf. etiam ad 1, 91.

---

post quod — dicendum sit] i. e. quo occupato, si eadem sit materia (v. ad 1, 9. 89.), nihil dici possit. Vid. Zumpt. §. 650.

esto — esse] Non minus recte dici poterat *esto — sit* vel *esto ut — sit*. Cf. Cic. Sestian. §. 97. „*Esto* igitur, *ut ii sint*" (optimates). Infinitivus sequitur ap. Horat. Ep. I, 1, 181. „*Esto*, aliis alios rebus studiisque *teneri*."

est certe proximus locus] int. *illis quae dicta sunt* (v. §. 5.). Cf. 1, 127. „*pares ac saltem proximos* illi viro fieri." Non recte Frotsch. intelligi vult *meliori*. — *certe* post sententiam concessionalem in apodosi sic infertur, ut particulae *tamen* locum expleat. Iunguntur adeo *certe tamen*.

7. *An vero*] Zumpt. §. 353. Grysar. p. 547. sq. „Positus voculae *non* mirus est in nostra scriptura, ubi duobus verbis divellitur ab *An* suo." *Sp.* At negatio arcte cohaeret cum verbis *bis ac saepius*. Cf. Hand. Turs. I. p. 556. sq.

possumus — non possumus] In huiusmodi enuntiationibus, quarum alterum membrum oppositionem rectam exhibet, nemo desiderabit particulam adversativam vel potius oppositivam. Sic 6, 6. „ut nos fortuna decipere *non possit*, adiuvare *possit*. Cic. p. Milone 9. 26. „consulatum eripi *non posse*, vitam *posse*. Liv. XXII, 51, 4. „vincere *scis*, Hannibal, victoria uti *nescis*." Notanda etiam in his exemplis iteratio eiusdem verbi, quod aut in antecedenti aut in consequenti membro sibi adiungit negationem. Nec alienum erit hic contulisse formulam *non item*, quam explicat Zumpt. §. 731. Exemplis ibi allatis adde Cic. N. D. II, 24. „Hoc in Libera *servant*, in Libero *non item*."

fas erat] De indicativo v. Grotef. §. 203. Zumpt. §. 518.

Nunc vero] Sic Graeci *νῦν δέ*, *so aber*, ponere solent, quando rem veram opponunt cogitatae vel fictae. Quare hae particulae condicionalibus potissimum enuntiationibus subiiciuntur, quo et condicio negetur et res ipsa. Particula adversativa etiam reticetur. Sic Cic. Divin. I, 29. „Quae quidem multo plura evenirent, *si* ad quietem in-

vero innumerabiles sunt modi plurimaeque eodem viae ducunt. Sua brevitati gratia, sua copiae; alia translatis virtus, alia propriis; hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid, quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur? Non enim scripta lectione secura transcurrimus, sed tractamus singula et necessario introspicimus et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus quod imitari non possumus. 8 1

Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera in alias atque alias formas duci solet. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam illa multiplici personarum, causarum, temporum, loco- 9 10

§. 8. *cognoscuntur*] Ex optt. codd. Frotsch. recipiendum censuit *cognoscuntur*. At ferri nequit coniunctivus in hac formula. — §. 9. *in alias — solet*] Sic Camp. et favent huic scripturae ex parte Tur. et Fl. Vulg. *aliae atque aliae formae d. solent*. — §. 10. *Nam illa*] Interpositum vulgo *in* ab omnibus fere codd. abest. Apte Herz. contulit XII, 10, 15. „*umbra — delitescunt*". — *causarum*] Tur. Fl. (hic a pr. m.) omittunt cum Alm. Vicissim *dictorum* abest a Voss. 3. Paria desiderantur tria, sed ego *rerum* fuisse suspicor pro *causarum*, et illud quidem facillime excidebat. *Sp.* Vid. ann.

tegri iremus: *nunc* onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus."

8. *brevitati — copiae*] Cf. de hac sententia Plin. Ep. I, 20.

figura declinata] i. e. *flexa* s. *immutata* (oratio). *Rectam* et *simplicem* orationem passim opponi *figuris*, annotavit Gierig., qui contulit IX, 1, 3. ubi figurae et tropi dicuntur a recta et simplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflecti. *Figura* esse ablativum, *declinata* nominativum, sponte patet.

9. *numerosissime*] i. e. *saepissime*, ut II, 12, 8. Saepe ita Qu., qui tamen alteram quoque significationem *numeri oratorii* frequentat. Spald. remittit ad VIII. Prooem. 2. *Fr.*

duci] Graece ἐλαύνεσθαι, ἐξελαύνεσθαι. Sic Latini dicunt *ducere lanam, stamina, laminam*. Cf. ad 3, 18. De imagine a cera petita vid. Gesn. ad Plin. Ep. VII, 9, 11. Cf. Cic. III, 45, 177. „sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus."

10. *causarum*] i. e. *argumentorum*, quae explicari atque tractari

rum, dictorum, factorum diversitate facile delitesceti infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam 11 apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere quae natura contracta sunt, augere parva, varietatem similibus, voluptatem expositis dare et bene dicere multa de paucis.

In hoc optime facient *infinitae quaestiones*, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in

---

oratione debent. Wolffius cum Spaldingio malebat *rerum*, quum *personae* et *res* saepe iungantur, ut III, 5, 7., et ad causam, quae proprie et specialiter dicatur, pertineant omnia, quae hic dicantur, singula. At nihil cogit, ut hic ὑποθέσεις, quas Graeci vocabant, significari censeamus. Cf. Ernest. p. 52. sq.

11. *fundere*] i. e. *copiosius et latius efferre, dilatare*. Cf. supra ad 1, 73. pag. 67. et Ernest. p. 186.

expositis] *Exposita* sunt quae omnium in oculis versantur, ab omnibus cernuntur, eaque ipsa aperta. Hinc declinata paululum significatione Quintiliano X, 5, 11. *exposita* dicuntur quae sunt *vulgaria* adeoque, quia nec novitate nec raritate commendantur, *minus iucunda*. Itaque in illo loco virtutis oratoriae indicium esse statuit, *voluptatem expositis dare*, *die Geschicklichkeit gemeinen Stoffen Interesse zu verleihen*, *das Bekannte und Alltägliche mit Interesse zu behandeln*, *interessant darzustellen*. *Ern.* p. 157. Cf. Plin. Ep. VII, 9, 3. „Licebit interdum et *notissima* eligere et certare cum electis." ubi Gesnerus: *Notissima eligere*, ut eo magis elaborandum sit in varianda oratione: difficilius enim est *notis et communibus* substituere abstrusiora quaedam et tamen eadem propria."

infinitae quaestiones] sunt quae remotis personis et temporibus et locis ceterisque similibus in utramque partem tractantur, quod Graeci θέσιν dicunt, ut ipse ait Qu. III, 5, 5. Vid. omnino Ernest. p. 316 sqq., qui θέσιν dicit quaestionem infinitam et disputationem universalem de rebus bonis et malis, de iusto et iniusto, de gloria, triumpho etc. (*allgemeine Untersuchung in abstracto*). *Fr.* Cf. Cic. de Orat. I, 31, 138. Invent. I, 6, Orat. 14, 46. Brut. 93, 322. Fin. IV, 4, 10.

quas — quibus] Cur non *et quibus* vel *quibusque* dixerit, discere licet ab Grotef. Gr. §. 534. p. 410. med. Exemplis ibi appositis adde Cic. Orat. 30, 109. „Histriones eos vidimus, *quibus* nihil posset in suo genere esse praestantius, *qui* non solum in dissimillimis personis satisfaciebant" etc. Non diversa est illa ratio, qua ex duobus adiectivis alterum substantivo suo inhaeret, cum eoque in unam notionem coit, alterum coniunctae huic notioni novum addit praedicatum, ut *bonus vir pauper* (Cic. Off. II, 20.), *columna aurea solida* (Liv. XXIV, 3.) et similia.

Cicero] ad Attic. IX, 4. „Ne me totum aegritudini dedam, sumsi mihi quasdam tanquam θέσεις" et quae sequuntur. Cf. Epist. 9. „θέσεις meas commentari non desino." Ad idem genus Gesner. *Paradoxa* refert, quae et ipsa maturus iam et honoribus defunctus Cicero tractavit.

republica exerceri solebat. His confinis est *destructio* 12
et *confirmatio sententiarum.* Nam cum sit sententia
decretum quoddam atque praeceptum; quod de re,
idem de iudicio rei quaeri potest. Tum *loci commu-*
nes, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam
qui haec recta tantum et in nullos flexus recedentia co-
piose tractaverit, utique in illis plures excursus reci-
pientibus magis abundabit eritque in omnes causas pa-
ratus. Omnes enim generalibus quaestionibus con- 13
stant. Nam quid interest, *Cornelius Tribunus plebis*

---

12. *destructio*] ἀναασκευή, *refutatio* est, contra *confirmatio*, κατασκευή, vocatur *probatio*. Cf. II, 4, 18. „Narrationibus non inutiliter subiungitur opus *destruendi confirmandi*que eas, quod ἀναασκευὴ et κατασκευὴ vocatur." Vid. Ernest. p. 113.

loci communes] Cic. de Orat. III, 27, 106. „Consequentur etiam illi *loci*, qui quanquam proprii causarum et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen quia de universa re tractari solent, *communes* a veteribus nominati sunt; quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem aut querelam, contra quam dici nihil solet nec potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam; quibus uti confirmatis criminibus oportet: aliter enim ieiuni sunt atque inanes: alii autem habent deprecationem aut miserationem; alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet." Cf. mox §. 13. Cic. Brut. 12, 46. sq. Ernest. p. 249. Exemplum habes apud Cic. de Orat. I, 57, 245.

scriptos — scimus] Cf. II, 1, 11. 4, 27. IV, 2, 117.

haec recta tantum] quibus loci communes continentur. Sunt enim citra complexum rerum et personarum (cf. II, 2, 9. 11,) et generaliter tractantur, nec flectuntur ad hanc illam rem et personam. *Wolff.* His opponuntur *illa plures excursus recipientia*, quae, ut idem W. ait, in orationibus sunt tractanda et pro varia rerum et personarum condicione variantur. Est autem *excursus* nihil aliud quam *egressus*, *egressio*, παρέκβασις s. παράβασις. Ad hoc genus egrediendi pertinet *similitudo*, *locus communis*, *affectus*, *exempla*, quas partes enumerat Qu. III, 9, 4. Cf. IV, 3.

13. *generalibus quaestionibus*] III, 5, 9. „Hae autem (quaestiones), quas *infinitas* voco, et *generales* appellantur: quod si est verum, finitae *speciales* erunt." Praeter ea quae hic statim afferuntur *generalium quaestionum* exempla cf. VII, 1, 23. 49.

Cornelius] Hic tribunus plebis, offensus senatui, promulgavit legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur. Quam rogationem Cornelii quum indigne tulissent potentissimi quique ex senatoribus, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiiciente scriba verba legis recitare populo coepit, P. Servilius Globulus tribunus pl. et scribam subiicere et praeconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Cf. IV, 4, 8. et

omnibus enim utimur nostris. Figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est, quia plerumque a Graecis Romana dissentiunt.

4 Sed et illa *ex Latinis conversio* multum et ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare: quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest: et verba, poetica libertate audaciora, non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem.

---

§. 4. *Sed et*] In multis edd. est *Sed etiam*. Tu vid. Hand. Turs. II. 503. sq. et supra ad 1, 107. Mox iterum legitur. — *eadem*] Codd. *eandem*.

---

omnibus — utimur nostris] i. e. *omnia enim, quibus utimur, nostra sunt.*

Figuras] Quae hic significantur *figurae*, sunt illae verborum primum, deinde etiam grammaticae potius quam rhetoricae, quoniam id spectatur, quod Romani et Graeci sermonis diversitas facere vertentem cogit. Cf. I, 1, 13. IV, 2, 118. *Sp.* Plinius Ep. VII, 9, 2. „Quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, *copia figurarum*, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt. Intelligentia ex hoc et iudicium acquiritur."

4. *ex Latinis conversio*] Zumpt. §. 681. Similiter Plaut. Trin. III, 2, 86. „*in consilium accessio.*"

multum et ipsa] i. e. *multum, et quidem per se:* quemadmodum explicuit Sarpius, immerito reprehensus a Frotschero. *Hand.* Turs. II, 478. Alias quoque *et ipse* sic iunguntur, ut significatio verbi *ipse* per se constet. Frotscheri rationi, quam amplexus est Herzogius, qui vv. *et ipsa* interpretatur *gleichfalls* (cf. ad 1, 31.), obstare videtur praecedens *et* (v. ad 1, 107.), quod si *et ipse* vulgari hic diceretur ratione, plane redundaret. Cf. etiam ad 1, 94.

Ac de carminibus quidem] Deinde §. 5. de vertendis *orationibus* Latinis pronuntiat. De particula *Ac — quidem* in transitu orationis ad rem per singulas partes accuratius definiendam disputat Hand. Turs. I, 502.

orationem] quae coram iudicibus vel concione habetur. *Wolf.* Equidem intelligi malim *locutionem oratoriam* vel etiam *prosam orationem*, ut apud Cic. Orat. 20, 70. „Huius ignoratione — saepissime et in *poematis* et in *oratione* peccatur."

audaciora] quam quae prosam deceant. *Wolff.* De huiusmodi comparativis diximus ad 1, 32. et 3, 31.

praesumunt] *in antecessum auferunt, praecipiunt, antecapiunt.* Cf. Prooem. tot. operis §. 20. I, 1, 19. XI, 1, 27.

Sed et ipsis sententiis adiicere licet oratorium robur et omissa supplere, effusa substringere. Neque ego 6
paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia, optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. Nisi forte histrionum multa circa 6
vultus easdem variare gestus potest, orandi minor vis,

---

effusa] Sic optt. libri pro *et effusa*. Exit autem oratio, cuius priores partes nexae erant per copulam *et*, in formam dissolutam sive in asyndeton, quia postrema membra sibi sunt contraria, ut dici posset *effusa autem* (cf. tamen ad 1, 74. p. 68.) *substringere*.

---

eadem] sc. *quae verbis poeticis et impropriis et iusto audacioribus dicta sunt*. Cf. ad 1, 9.

effusa substringere] Plin. Ep. I, 20, 20. „Sed non minus non servat modum, qui — *astrictius* quam qui *effusius* dicit." Rarioris usus est *substringere* quam *astringere*. Laudarunt interpretes Tertull. de Oratione c. 1. „Quantum — *substringitur* verbis, tantum *diffunditur* sensibus." Cf. 4, 1. et de *effusis* ad 1, 62.

5. *paraphrasim — interpret.*] Prius esse subiectum, alterum attributum, annotavit Spald.

ab illis dissentio] In his est ipse Cicero, qui de Orat. I, 34, 154. Crassum introducit haec loquentem: „In quotidianis autem commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime —, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam quam legissem verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem." Cf. etiam Plin. Ep. VII, 9, 3.

6. *histrionum — gestus*] „Satis constat contendere eum (Ciceronem) cum ipso histrione solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret." *Macrobius* Saturn. II, 10.

16 lis reficiuntur. Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est deteratur fulgor et durescat articulus et ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur.

17 Sed quemadmodum forensibus certaminibus exercitatos et quasi militantes reficit ac reparat haec velut sagina dicendi: sic adolescentes non debent nimium

---

§. 16. *quotidiana*] Tur. *cotidiana*, Fl. *cottidiana*. Cf. ad 1, 27. In iisdem additur *alia*, in quo Herz. latere putat aut *alias* (v. ad 1, 33.) aut *illa*. Mihi e postremis antec. vocis litteris *ana* natum videtur. Certe iteratio pronominis displicet. — §. 17. *exercitatos*] Ex optt. codd. Frotsch. recepit *excitatos*.

Sestio 36. Tacit. Hist. II, 88. Quint. XI, 3, 26. XII, 10, 41. Declam. 9, 5. p. 173. Apparet in gladiatore, qui comparatur declamanti, esse obesitatem, in milite, qui dicenti in foro, robur nervis astrictum. *Sp.* Cf. ad 1, 33.

otio — epulis] Haec substantiva ad praegressa illa *ciborum* et *exercitationum* inverso referuntur ordine, qui *Chiasmus* a forma Graecae literae X vocatur. Sic Plin. Ep. III, 1, 2. „Iuvenes adhuc *confusa* quaedam et quasi *turbata* non indecent; senibus *placida* omnia et *ordinata* conveniunt." Plura dabit cupienti Grotef. §. 586.

16. *lumen*] i. e. *fulgorem*, *splendorem*, ut sequentia docent.

sola] Nostra lingua exigit adverbium. Vide Zumpt. §. 687. Similiter 6, 6. „*una* spe recordationis suspensos."

durescat articulus] Comparant II, 12, 2., ubi gladiatori tribuitur *mollis articulus*, h. e. mollis flexus articulorum manus et corporis. — De singulari v. *articulus* vid. Grotef. §. 473. pag. 878. n. 1.

mucro ingenii — retundatur] Sententiam illustrant quae legunt apud Cic. pro Arch. c. 6.

17. *exercitatos*] i. e. *agitatos*, *vexatos*. Caes. B. G. VIII, 25. „civitas propter Germaniae vicinitatem quotidianis *exercitata* bellis." Quae Frotscherus ad tuendam scripturam *excitatos* annotavit, *excitari* dicens oratorem forensibus certaminibus, in quibus contentione animi opus sit et vehementiore impetu, in quibus aestuare debeat, ea mihi videntur parum probabiliter disputata.

sagina] proprie est *gladiatorum*. Vid. Matth. ad Cic. Sest. §. 78. *Aug.* Cf. Tacit. Hist. II, 88. „Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut *gladiatoriam saginam*, dividebat." Itaque hac metaphora significatur iucunda ubertas et copia.

in falsa rerum imagine detineri et inanibus se simulacris usque adeo, ut difficilis ab his digressus sit, assuefacere, ne ab illa, in qua prope consenuerint, umbra vera discrimina velut quendam solem reformident. Quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari 18
nominis professor fuit, traditur, ut cum ei, summam

---

inanibus se simulacris — assuefacere] Sic vulgatam *inan. simulacris, usque adeo, ut difficile ab his digressos sit assuefacere* correxit Frotsch. codicum ope adiutus, nisi quod *se* e coniectura addidit, quo omisso Zumptius scripsit *assuescere*, in ceteris secutus Frotscherum. — §. 18. *etiam Porcio*] Tur. Fl. inserunt *in*. An fuit *M? Sp.* Frotscher. malebat *etiam in Porcio Latrone*, quae mihi structura minus videtur usitata.

---

in falsa rer. imagine] XII, 11, 15. „Quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum, *declamitare* in schola et tantum laboris in *rebus falsis* consumere, cum satis sit modico tempore *imaginem veri discriminis* et dicendi leges comperisse?" Cf. mox ad §. 21. supra 2, 12. et Ernest. p. 417.

usque adeo] Notandus hic usus, quo particulae *adeo*, rem ad certum aliquem gradum provectam et auctam indicanti, interdum vocabulum *usque* additur. Exempla pete ab Handio Turs. I. p. 141.

ab illa — umbra] relicta illa umbratili declamandi exercitatione, quo sensu *ab, ex* frequentari notum est, Graece ἀπό. *Aug.* Omnes quae ponuntur praepositionis *ab* significationes ex una oriri notione primaria loci ac rei, unde aliquid moveatur, exeat aut aliquo modo proficiscatur, docet Hand. Turs. I. p. 8. Mire Herzog. verba *ab illa umbra vera discrimina* interpretatur „quae *vere ab illo secessu* multo *differunt certamina, vor den von jenem Schatten — wesentlich verschiedenen Kämpfen — zurückbeben.*" Quasi hic *vera discrimina* aliud quid significent quam *vera proelia* apud Tacit. Dial. 10, 7. „Nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad *vera proelia* voco." Piget pluribus monstruosam istam interpretationem impugnare.

velut quendam solem] Omisso pronomine, de quo vid. ad 1, 5. Quint. XII, 10. 15. „Quia, inquit, clariorem vim eloquentiae *velut solem* ferre non possunt, *umbra* magni nominis delitescunt." Caeterum noster hic locus inprimis aptus est ad illustrandam illam dicendi formam, qua *sol* in re oratoria sic opponitur *umbrae*, ut significet orationes in foro aut concionibus, quae opponuntur declamationibus seu orationibus quae de rebus fictis exercitationis causa habentur in schola intraque parietes. Vid. Ernest. p. 422.

18. *clari nominis professor*] II, 11, 1. (exemplo *magni* quoque) *nominis professorum.*" *Professor* argentea aetate vocatur qui liberalis alicuius artis, inprimis rhetoricae, prae se fert scientiam eamque tradit discipulis. Sic *profiteri* sine aliquo additamento de iis dicitur qui rhetoricam publice docent. Vid. Plin. Ep. II, 18. et IV, 11. extr.

in scholis opinionem obtinenti, causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur. Ita illi coelum novum fuit, ut omnis eius eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. 19 Quare iuvenis, qui rationem inveniendi eloquendique a praeceptoribus diligenter acceperit: quod non est infiniti operis, si docere sciant et velint: exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem, quod apud maiores fieri solebat, deligat, quem sequatur, quem imitetur; iudiciis intersit quam plurimis et sit certaminis, cui destinatur, frequens 20 spectator. Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat vel etiam alias, veras modo, et

---

opinionem] Obiective *opinio*, ut *existimatio*, dicitur pro *fama*. Sic sine additamento 7, 17. *bonam famam* significat. Ipsa vox *fama* ut synonymum additur apud Tacit. Dial. 10, 1.

in basilicam] Intellige porticum quandam grandiorem et magnificam circa forum exstructam, in quam propter vicinitatem subsellia, in quibus iudices et partes litigantes cum advocatis sedebant, facili negotio e foro transferri possent. Aliae *basilicae* sive *regiae* circa templa et theatra erant. Constat autem has aedes publicas ad ius dicendum potissimum negotiandumque fuisse exstructas. Iudicia centumviralia in basilica Iulia, de qua vid. Interpp. ad Suet. Calig. 37., exerceri solita scimus ex Plin. Ep. II, 14, 4. 8. V, 21, 1. Quint. XII, 5, 6. Quid acciderit Latroni, scholastico tantum, M. Seneca quoque in praef. lib. IV. Controv. his verbis exponit: „Narratur — declamatoriae virtutis Latronem Porcium unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet, nec ante potuisse confirmari, tectum ac parietes desiderantem, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur. Usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, coelum denique pati nesciant." Videtur tamen Plinio Ep. II, 3, 5. hoc genere hominum nihil aut sincerius aut melius, quum ii qui in foro verisque litibus terantur, multum malitiae, quamvis nolint, addiscant.

19. *velint*] Non raro enim voluntas deest. I, 5, 23. „At si quis et didicerit satis et, *quod non minus deesse interim solet, voluerit* docere quae didicit" etc. Cf. II, 3, 5. *Fr.*

apud maiores] Cf. XII, 11, 5. Cic. Brut. 89, 306. de Senect. 8. et 9. Tacit. Dial. 34.

20. *quas agi audierit*] i. e. quibus agendis interfuerit. *Sp.*

et ipse] Haec verba a Livio et aliis post eum haud raro ita collocari, ut *et* redundare videatur, docuit Hand. Turs. II. p. 506. Cf. 7, 26. „qui *et ipse* — excitat oratorem." cl. 3, 21. „quaeque *ipsa* animum quodammodo concitant." Quo utroque loco apud Herzogium in vers.

utrinque tractet et, quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Cestius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione.

Citius autem idoneus erit iuvenis, quem praeceptor coegerit in declamando quam simillimum esse veritati et per totas ire materias: quarum nunc facillima et maxime favorabilia decerpunt. Obstant huic, 21

---

§. 21. *et maxime*] Utrum sic an *aut m.* scribas, parum interest: sed quod Spald. dedit *ut* (sic enim Tur. Fl. Alm.) sententiae adversatur. Neque enim quae sunt facillima, eadem maxime favorem excitant. *Zumpt. aut* est in Tur. a sec. m. et Camp. — *Obstant*] Sic Tur. Fl. Guelf. Reliqui *obstat*. Cf. Zumpt. §. 375. n. 1.

Germ. legitur *ebenfalls*; hic vero idem simplici vocabulo *selbst* Latina verba expressit.

utrinque] ut sumat personam et accusatoris et defensoris. *Wolff.* Cf. 1, 22.

decretoriis] In codicibus hoc verbum plane corruptum. Spald. malebat *armis decretoriis*, quibus opponuntur *lusoria* apud L. Senec. Epist. 117. „Remove ista *lusoria arma: decretoriis* opus est." Pro *decretoriis* armis Sueton. Calig. 54. habet *pugnatoria*. Apud Qu. VI, 4, 6. est *pugna decretoria*.

Brutum diximus] 1, 23. Cf. III, 6, 93. „Ideoque pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem."

rescribere vet. or.] est contrarias veteribus orationes scribere, refellere illas, ad laudem oratoris deprimendam. *Fr.* Graece ἀντιγράφειν, *contra scribere*. Cf. Suet. Caes. 73. Aug. 85. Calig. 53. De illustribus Gramm. 19.

alteram partem] quam contra Milonem defendendam susceperat. *Wolff.*

21. *quam simillimum — veritati*] II, 10, 3. „Sint ergo et ipsae materiae, quae fingentur, *quam simillimae veritati:* et declamatio in quantum maxime potest imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est." Sic Graeci τὰ ἀληθῆ et ἀληθεύσεις opponunt τοῖς πλάσμασιν. Cf. paulo ante ad §. 17. Non satis perspicue Herzog. haec reddidit „*der Wahrheit möglichst getreu zu bleiben.*"

per totas ire materias] ut non modo nullus materiae locus restet tractandus, sed etiam oratio omnibus suis partibus et numeris sit absoluta. Ut vero in scholis vulgo fiebat, propter temporis angustias

quod secundo loco posui, fere turba discipulorum et consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam persuasio patrum, numerantium potius
22 declamationes quam aestimantium. Sed quod dixi primo, ut arbitror, libro, nec ille se bonus praeceptor maiore numero quam sustinere possit onerabit: et inanem loquacitatem recidet, ut omnia quae sunt in controversia, non, ut quidam volunt, quae in re-

---

loco] Al. *libro*, quo servato Gesn. ablegat ad II, 4, 15. Sed v. ann. — §. 22. *sustinere*] Tur. Guelf. Leid. cum Ald. Stoer. Chouet. *sustineri*. Vid. ann. — *quidam*] Tur. Fl. *quidem*. Sed. v. ann.

---

nonnisi partem declamationum recitabant fere primam, in quam ex tota materia congerebant favorabilia quaedam et flosculos (cf. §. 23.). *Wolff.* Cum locutione ipsa cf. I, 7, 35. „Non obstant hae disciplinae *per illas euntibus*, sed circa illas haerentibus." VII, 1, 64. „Nunc *eamus per singulas* causarum iudicialium *partes*."

favorabilia] Hoc adiectivum, quod saepissime legitur apud Quintilianum eiusque aequales, non magis quam adverbium *favorabiliter* apud Ciceronem invenies, qui etiam substantivo *favor* pro *gratia* vel *studio* non utitur nisi adhibito remedio *ut hoc verbo utar* et *ut ipsi loquuntur*.

quod secundo loco posui] Haec verba spectant illud, quod dixit *per totas ire materias*. Vidit hoc Spald., qui confert VII, 2, 9. „*quod tertio loco posui*". IX, 2, 6. „*quod primo loco posuimus*".

numerantium — aestimantium] Plin. Ep. II, 12, 5. „*Numerantur* enim sententiae, non *ponderantur*." De iis quae h. l. dicuntur Almelovenus ablegat ad II, 7, 1. „Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his de quibus nunc disserimus aetatibus, ne omnia quae scripserint ediscant et certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt, atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt; cum profectus praecipue diligentia constet."

22. *primo — libro*] I, 2, 15. Illud *ut arbitror*, deliciandi magis causa dixisse mihi videtur quam propter oblivionem. *Sp.* Imitatur Ciceronem, qui, ut uno exemplo defungar, Brut. 15, 58. sic loquitur: „Est igitur sic apud illum in nono, *ut opinor*, annali."

quam sustinere possit] Spald. *quam quem* coniiciebat. „Hoc quidem si opus esset, mallem *quam qui sustineri possit*." *Frotsch.* Scripsit sane Qu. I, 2, 15. „Sed neque praeceptor bonus maiore se turba, *quam ut sustinere eam possit*, oneraverit." Nostro vero loco nihil interest, utrum relativum addas an omittas, quod apparebit ex his duobus exemplis Ciceronis Verr. 8, 28. „Siculis plus frumenti imperabatur, *quam quantum exararant*." et ibid. 4, 34. „Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius *quam ferre possent*." Cf. etiam supra 1, 45.

ut quidam volunt] Isti *quidam* et sententia auctoris et ipsa re nihil

rum natura, dicantur: et vel longiore potius dierum spatio laxabit dicendi necessitatem vel materias dividere permittet. Una enim diligenter effecta plus pro- 23
derit quam plures inchoatae et quasi degustatae. Propter quod accidit, ut nec suo loco quidque ponatur nec illa, quae prima sunt, servent suam legem, iuve-

---

§. 23. *Una enim*] Haec verba ab optt. codd. et multis edd. absunt. — *quidque*] Tur. Fl. Alm. *quicquid*. Cf. ann. crit. ad 1, 3. *quisquam* Tur. a sec. m. Camp. et edd. ante Gryph.

---

adversantibus intelligi possunt doctores quidam umbratiles, quos discernas a bono praeceptore, quem dixit Qu. Etenim non eadem omnibus constitit ratio, quanquam una optima esse debuit. Deinde *volunt* Spald. explicat, iuvenes declamantes hoc ita voluisse vel potius velle visos esse. Verum de iuvenibus illis nec antea disseruit Qu. nec cur ex oratione praecedenti eos potissimum arcessamus, idonea ratio suppetit; denique non omnes adolescentes ita velle asseri poterat. Quare etiamsi iuvenes intelligere alicui placeat, tamen subiectum omissum offensioni erit: nam ubicunque aliquem aliquid velle contenditur, ibi personae praecipua quaedam ratio habeatur necesse est. *Herzog.* Plane assentior; nec dubito quin in numerum eorum, quos hic reprehendit Fabius, ipse etiam Plinius, quanquam is non fuit rhetor, sit adscribendus, cuius mira disputatio de brevitate in causis agendis non semper custodienda exstat in Epist. I, 20. Cf. ibid. IX, 26, 5. sq. Ceterum in verbis *quae in rerum natura* nemo non deprehendet veri quandam superiectionem, quae tamen ab hoc loco neutiquam est aliena.

vel longiore potius — necessitatem] Sententiam verborum non assecutus, Herzogius sic convertit „*er wird entweder die Redeübungen im dringenden Falle auf den Raum mehrerer Tage ausdehnen.* *Potius*, quod interpres plane praetermisit, indicat *longius dierum spatium* spectare ad „classes *certis diebus* audiendas" (§. 21.): *dicendi* autem *necessitatem* h. l. intellige eam, quae discipulis a praeceptore imponitur. Alio sensu dixit infra 7, 17. et 7, 22. *Laxare* est *prorogare*, *procrastinare*, *producere*. In Lexicis affertur Senec. Med. v. 420. „*Laxare* tempus fugae."

materias dividere] Hoc ne videatur pugnare illi quod cupit fieri, ut *per totas eatur materias*, tenendum est, quod Rollinus monuit, vertendoque expressit Gedoynus, pluribus declamandi diebus ab uno quodam discipulo totam pertexi materiam. *Sp.*

23. *effecta*] *elaborata*, *perfecta*. V, 13, 34. „Pro *effectis* relinquant vixdum inchoata." VIII, 3, 88. „Nam quidquid in suo genere satis *effectum* est, valet." XII, 10, 45. „auribus nitidius aliquid atque *effectius* postulantibus." Vid. Gernh. ad II, 13, 9.

Propter quod] Int. *si plures inchoantur et quasi degustantur.*

ita quae prima sunt] „*die Hauptsachen.*" *Herz.* Quae interpretatio non convenit cum sequentibus. Recte Spaldingius ad verba

nibus flosculos omnium partium in ea, quae sunt dicturi, congerentibus: quo fit, ut timentes ne sequentia perdant, priora confundant.

CAPUT VI.
DE COGITATIONE.

1 Proxima stilo *cogitatio* est, quae et ipsa vires ab hoc accipit et est inter scribendi laborem extempora-

---

§. 1. *accipit et est inter*] Tur. *accipiet quae i.* Fl. *accipet quae i.* Camp. cum Tur. a sec. m. *accipiet quod i.* Fl. a sec. m. *accipiet et est quae i.* Spald. suspicabatur primitus fuisse *accipit estque i.*

---

servent suam legem, et ipsa male ab Herzogio conversa „*in der gehörigen Ordnung folgen*", annotavit haecce: „Ampliora fere fiunt *principia* declamationum refertaque iis quae minime eius sint loci. Neque enim inchoantes illi et degustantes discipuli humano, ut par est, et civili ingressu (III, 8, 59.) utuntur, occasione promendi bella suas sententias mox destitutum se iri timentes. *Confundere priora* erit igitur permiscere ea rebus alienis, nec legitimo ordine tractari sinere." Cf. III, 9, 8. „Neque — eos probaverim, qui scribendum quoque *prooemium* novissime putant. Nam — incipiendum ab *iis quae prima sunt*." Levius est, quod idem Herzogius paulo ante voc. *quidque* non satis accurate vernaculo *etwas* expressit.

flosculos omnium partium] sc. *orationis* vel, ut accuratius dicam, *declamationis*. Quod non annotassem, nisi hic quoque peccasset Herzog. vertendo „*aller Welt Blümeleien*." Cf. quae §. 21. ad verba „*per totas ire materias*" dicta sunt. — *Flosculos*, non *flores*, dicens Fabius nimium illarum elegantiarum notat apparatum, quem luxuriei et lasciviae metaphoris insignire veteres solebant. Vid. Ern. p. 176. et supra ad I, 43. Bono sensu Senecam Ep. 33. *flosculos* vocare sententias eminentiores, quas memoriae causa et propter illarum elegantiam et vitae usum excerpere a praeclaris scriptoribus solemus, *Sentenzen*, *Denksprüche*, idem Ernest. docet p. 175.

quae sunt dicturi] „*was sie im Begriff sind zu sagen.*" *Heri.* Quasi vero iuvenes illi tunc demum, quum in eo essent, ut dicerent, flosculos omnium partium congerere soliti sint.

ne sequentia perdant] sc. propter angustias temporum, quae praeceptorem cogunt, ut partem tantum singularum declamationum audivisse satis habeat.

Cap. VI.

1. *et ipsa*] Nam ex tempore dicendi facultatem a scribendi labore vires suas accipere, docuerat supra III, 1—4. Dubito igitur, num recte Herzog. converterit „*theils an sich*". Vid. ad 1, 31.

extemp. fortunam] Quidquid in oratione non domi cogitatum et

lemque fortunam media quaedam et nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Haec paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. Haec, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuvatur. Haec inter medios rerum actus aliquid invenit vacui nec otium patitur. Neque vero rerum ordinem modo, quod ipsum satis 2
erat, intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat totamque ita contexit orationem, ut ei nihil praeter

---

elaboratum, sed repente ex ingenio et subita occasione sic ferente dictum esset, *extemporale* rhetores vocarunt. Vid. Qu. IV, 1, 54. et imprimis X, 7., ubi ex instituto rationem et usum illius ex tempore dicendi facultatis exponit. Cum autem hoc omne genus dicendi ita comparatum sit, ut moram et praeparationem excludat, hinc natae sunt variae illius significandi formulae, inprimis apud ipsum Quintilianum passim occurentes, ut *extemporalis fortuna*, *extemporalis temeritas*, *subito effusa*, *promtum* et *in expedito positum*. Ernest. p. 159. Cf. Tacit. Dial. 6, 8. „*extemporalis audaciae* atque ipsius *temeritatis* vel praecipua iucunditas est." et mox §. 6. Perperam Herzog. interpretatur *gelegentliches Extemporiren*.

media quaedam] idem fere quod *velut media*. Qui cum Spaldingio de *media quadam manu* (vid. XI, 2, 3. XII, 8, 4.) cogitant, me non habent consentientem. Sententiae causa Frotsch. comparavit Cic. de Orat. I, 33, 150. „Si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit."

temporis ac loci] Inverso ordine haec referuntur ad praegressa „*ubique* nec *semper*". Vide ad 5, 15.

paucis admodum] i. e. *perpaucis*. Sic 7, 24. „paululum *admodum*." Quod Goerenz. ad Cic. de Fin. IV, 5, 12. animadvertit, particulam postpositam paullum mitigari, id se in reliquis exemplis cognoscere non potuisse dicit Hand. Turs. I. pag. 169. Cf. ad 1, 67.

rerum actus] Dicitur fere *rerum actus* de negotiis forensibus et de iurisdictione. Plin. Ep. IX, 25, 3. „Nunc me *rerum actus* modice, sed tamen distringit." Suet. Aug. 32. „triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, *actui rerum* accommodavit." Cf. Claud. 15. et 23. Ner 17. Nostro tamen loco ceteros quoque *vitae actus* (XI, 1, 47.) intelligendos puto.

2. *satis erat*] De indicativo vid. Grotef. §. 203. n. p. 151. Zumpt. §. 518.

intra se ipsa] Accusativo *ipse* in hac formula effertur 7, 25. „dum tamen quasi dicat *intra se ipsum*." Quid discriminis intercedat inter nominativum et obliquum casum, disce a Zumptio §. 696. Grotef. §. 89. n. Grysar. p. 55. n. 2. Cf. Herzog. ad Caes. B. G. V, 37.

manum desit. Nam memoriae quoque plerumque inhaerent fidelius quae nulla scribendi securitate laxantur.

Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri
3 potest aut subito aut cito. Nam primum facienda multo stilo forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur animo, quae reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda vis et exercitatione multa continenda est, quae quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum
4 differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut is, cui non refragetur ingenium, acri studio adiutus tantum consequatur, ut ei tam quae cogitarit quam quae scripserit

---

§. 2. *Nam memoriae*] Tur. et Camp. *namque m.* Fl. *nam et m.* Guelf. seq. *quoque* omittit. — *inhaerent — quae — laxantur*] Sic Camp., cui ex parte favent codd. Vulgo *inhaeret — quod — laxatur.*

---

3. *forma*] quae animo expressa et designata cogitationi cuique, ut norma, supponitur. *Wolff.*

ut onerari — sentiat] *ut accessio labori sensum incrementi non afferat.* Ita loquitur XI, 2, 41.

augenda vis] sc. *inscripta complectendi animo.* Mox *continenda est servanda*, ut 7, 18. 24.

in illum locum] i. e. in illud caput, quo *memoria* tractatur: quod fit XI, 2.

4. *Eo tamen pervenit*] Recte Gesnerus similem formulam demonstrat 7, 19. In harum locutionum neutra impersonale verbum *pervenire* agnoscas vel subaudies *res*, quo expresso opus erat, velut VI, 3, 51. Erit igitur nostro quidem loco *vis* illa e prioribus huc vocanda, in altero *facilitas extemporalis. Spald.* At Herzog. haec vertit: *Doch kann es dahin kommen.* „Dixit *tamen*, quod ante significavit, aliqua differenda esse. Nihilominus interim se hoc velle adiicere, *vim eo pervenire* etc." *Wolff.*

ut is — ut ei] In geminandis his iisdem vocabulis negligentiam quandam scriptoris deprehendas. „Quare enim, inquit Spald., non ita ordinavit orationem, ut defungeretur uno *ut* cum suo coniunctivo?" Cf. ad 1, 23.

tam] i. e. *non minus (pariter, aeque).*

atque edidicerit in dicendo fidem servent. Cicero arte Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant, ad verbum in agendo retulisse.

Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit ex- 5
temporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum. Neque enim tantum habent curae, ut non sit dandus et fortunae locus, cum saepe etiam scriptis ea, quae subito nata sunt, inserantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et digredi ex eo et regredi in id facile possimus. Nam ut primum est domo afferre paratam di- 6

Metrodorum Scepsium] De huius memoria atque in ea exercenda arte vid. Cic. de Orat. II, 88, 360. et Tusc. I, 24, 59. Cf. Qu. XI, 2, 26. Plin. N. H. VII, 24. Alterum Graecum, *Empylum Rhodium*, nusquam memorat Cicero, et quod hic de Graecis illis praedicasse dicitur, id soli *Hortensio* tribuit in Brut. 88, 301.

ad verbum] et ita dicitur, ut significet translationem, qua verbum verbo respondeat, et dictorum perceptionem, quae omnia verba complectatur. Nos *von Wort zu Wort*. *Hand*. Turs. I. p. 129. Cf. Cic. de Fin. I, 2, 4. „fabulas Latinas *ad verbum* de Graecis expressas." De Orat. I, 34, 157. „exercenda est etiam memoria ediscendis *ad verbum* quam plurimis et nostris scriptis et alienis." Similiter Qu. IX, 1, 25. „locum *ad literam* subieci." Rarius *ad verbum* de re conveniente positum reperias, ut sit *secundum verba*, *nach den Worten*. Unum exemplum attulit Hand. l. c. ex Cic. de Div. I, 44, 99.

5. *si forte aliquis*] Secundum Hand. Turs. I. p. 263. *forte* attrahitur a coniunctione nec quidquam deminuit vim integrae vocis *aliquis*. Idem confert Cic. ad Att. II, 1. „*si* inter nos esset *aliqua forte* dissensio," p. Flacc. 1, 2. „*si forte aliquando*." ad Fam. VII, 17, 9.

ext. color] i. e. *splendor*, *nitor*. Nam, si verum vidit Sp., *color* tribuitur etiam singulis in dicendo locis, qui exquisitiore cultu nitescunt, quaedam velut orandi munditiae. Cf. 7, 7. Herzog. vertit „*ein Zug von Extemporiren*." Non placet.

superstitiose] *nimis solicite et curiose*, ut interpretatur Frotsch. Nos *mit Aengstlichkeit*. Similiter dicitur *scrupulose* IV, 5, 6. V, 14, 28. Mire Gernh. ad XII, 10, 13. iungit *superstitiose cogitata* et interpretatur *magna cum cura cogitata*.

demum] *gerade* vertendum censet Hand. T. II. p. 257. Alii *tantum*, *duntaxat* significare volunt. Cf. ad 1, 44. 2, 8. 3, 13.

tantum habent curae] Subiectum *cogitata* ex antecc. repetendum. Satis autem haec verba docent, quid iudicandum sit de illa Gernhardi explicatione quae modo memorata est.

6. *domo afferre*] Cic. Orat. 25, 89. „Vitabit etiam quaesita nec ex tempore ficta, sed *domo allata*. Cf. infr. 7, 30.

cendi copiam et certam, ita refutare temporis munera longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adiuvare possit. Id autem fiet memoriae viribus, ut illa, quae complexi animo sumus, fluant secura, non solicitos et respicientes et una spe suspensos recordationis non sinant providere: alioqui vel extemporalem temeritatem
7 malo quam male cohaerentem cogitationem. Petitur enim quaeritur retrorsus, quia, dum illa desideramus, ab aliis avertimur et ex memoria potius repetimus quam ex materia. Plura sunt autem, si utrumque quaerendum est, quae inveniri possunt quam quae inventa sunt.

---

§. 6. *solicitos et*] Tur. Fl. *sollicito sic*, unde Herz. effecit *sollicitos ac*, quod coniecerat Frotsch. — §. 7. *si utrumque*] Tur. Fl. *strutius utrumque*. Tur. a sec. m. Par. 1. Camp. et edd. ante Bad. *si strictius utrumque*, quod cum Gernh. restituit Aug. Alii alia tentarunt.

---

refutare] *non admittere, aspernari, improbare*, Franco-Gall. *refuser*. Spald. comparat Cic. p. Rabir. 16. „quam bonitatem non modo non aspernari ac *refutare*, sed complecti etiam et augere debetis." Add. Tusc. II, 23. „inprimis *refutetur* ac reiiciatur Philoctaeus ille clamor."

non solicitos — providere] Paullo durius haec dicta videntur, cum prioribus haec iungat. Sed sciendum, plus semel a Fabio copulam omitti, cum sequitur enuntiatio ad priorem accuratius explicandam destinata. Illud enim *fluant secura* quid sit, apparet ex iis quae subiiciuntur: *non solicitos — providere*. Accedit quod, prius *non* in *nec* si mutatur, facile obscuritas loco oboriatur. *Wolff*. Transverso ordine enuntiationum *non ut solicitos — non sinant providere, sed ut illa — fluant* —, eo quidem usitatiore, sed h. l. incommodiore, Quint. uti noluit. Cf. X, 7, 19. „*non quia — non*." Infelix est Gensleri coniectura, scribendum esse *neque solicitos — nos sinant*, iam Frotschero repudiata. Cf. IX, 3, 72. „*non* ex eodem verbo non dissonam." *Gernh*. Est autem *non sinant* idem quod *prohibeant*. — *Providere* Burmanno est „in futurum prospicere, an reliqua orationis membra apte satis sint cohaesura."

7. *retrorsus*] respiciendo, an cogitata omnia sint dicta. *Wolff*.

ab aliis] quae sequi debent. *Idem*. Sed fortasse rectius intellexeris *ab alia inventione* (3, 33.). Hoc suadere sequentia videntur. Cf. 7, 32. extr.

utrumque] Intellige *tum cogitata tum nova*. Cf. 7, 33.

CAPUT VII.

QUEMADMODUM EXTEMPORALIS FACILITAS PARETUR ET CONTINEATUR.

Maximus vero studiorum fructus est et velut 1
praemium quoddam amplissimum longi laboris *ex tempore dicendi facultas:* quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renuntiabit et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bonae fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in praesentissimis quibusque periculis desit: ut intrare portum navis nisi lenibus ventis vecta non possit. Si quidem in- 2
numerabiles accidunt subitae necessitates vel apud ma-

CAP. VII.

§. 1. *praemium quoddam amplissimum*] Codd. exhibent *primus quidam (quid) amplius*. Inde comparativum restituit Herzog. — *bonae fidei*] Frotsch. et Herzog. e Tur. Flor. (a pr. m.) Camp. dederunt *bona fide*. Cf. ad 3, 12. — *ut intrare portum — possit*] Herz. *ut intra portum navis accedere nisi — possit*. Vulgatam *ut monstrare portum, ad quem navis accedere nisi — possit*, a Spaldingio explosam, Gernhard. ita revocavit, ut *monstrare*, a Regii coniectura profectum, in *intrare* mutaret. Ex Zumptii sententia verum invenit excellenti iudicio Spaldingius, quem secuti sumus.

---

1. *renuntiabit*] Hoc vocabulum Spald. ad I, 2, 20. in iis numerat, quae ab argentea Latini sermonis aetate coeperint in eam significationem deflecti, quam nunc tueantur in lingua Francogallica. Sed ne Cicero quidem huic vocis *renuntiare* usum ignoravit. Sic de Orat. I, 53. extr. „ne *Stoicis renuntiaretur*."

in publicum] i. e. *in commune*. Cf. VI, 1, 7. „vera et iusta et *in commune* profutura." Tacit. Dial. 26, 8. „neminem sequentium laudare ausus est nisi *in publicum et in commune*." August. comparat locutiones *in commune consulere, in publicum providere*, laudatque Hessium ad Tacit. Germ. 27, 5. Dronk. ad Tac. Dial. l. c. Statim §. 2. est „*cuicunque* innocentium civium." Herzog. tamen vertit *vor Gericht*.

ut intrare portum] Implicatur similitudo ipsi orationi et per inperatum adnectitur rei, cui illustrandae inservit. *Sp.* Cf. ad I, 4.

2. *apud magistratus*] i. e. apud Principem vel senatum. *Wolff.* Aliquoties noster ostendit causas apud magistratus oratas extraordina-

gistratus vel repraesentatis iudiciis continuo agendi. Quarum si qua, non dico cuicunque innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alicui evenerit, stabitne mutus et, salutarem petentibus vocem statimque si non succurratur perituris, moras et secessum et silentium quaeret, dum illa verba fabricentur et memoriae insidant, et vox ac latus praeparetur? Quae vero patitur hoc ratio, ut quisquam sit orator impa-
3 ratus ad casus? Quid, cum adversario respondendum erit, fiet? Nam saepe ea, quae opinati sumus et contra quae scripsimus, fallunt ac tota subito causa mutatur; atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda
4 est. Quid porro multus stilus et assidua lectio et longa studiorum aetas facit, si manet eadem quae fuit incipientibus difficultas? Periisse profecto confitendum est praeteritum laborem, cui semper idem

---

§. 2. *statimque*] Vulg. *statim* contra codicum auctoritatem. — §. 3. *imparatus ad casus*] Codicum scriptura *aliquando mittere casus* quum omni careat sensu nec facili remedio sanari possit, interim in vulgata, quae ex Camp. effluxit, acquiescendum puto.

---

rio iudicio, velut III, 10, 1. IV, 1, 72. V, 13, 6. *Sp.* Hoc tamen doceri vult Wolffius, cur apud hos nominatim oriatur subita necessitas et ex tempore dicendum sit. Proferendum esse locum, unde appareat, a magistratibus interdum diem non praedictum esse. *Fr.*

repraesentatis iudiciis] maturatis ante diem. Sic *repraesentare pecuniam* est ante diem solvere. *Fr.*

petentibus — perituris] Dum petunt ii, qui, nisi succurratur, statim perituri sunt. *Sp.* Sed v. annot. crit.

illa verba] i. e. illa tam egregia verba, quibus superbit. Sic §. 8. „velocitas *illa*." *Sp.* Cf. ad I, 16. et hic §§. 10. 32.

vox ac latus] Plin. Ep. II, 11, 15. „*voci laterique* consulerem." Sic *vocem* et *latera* iungit Cic. Verr. IV, 30. Cf. Ernest. Clav. Cic. s. v. *latus*.

3. *cum adversario resp. erit*] XII, 9, 16. „at cum protinus respondendum est, omnia parari non possunt." Cf. ibid. §. 20.

Nam — fallunt] Nam saepe fit, ut ab adversario non ea proferantur, quae opinati sumus et adversus quae oratio nostra se praeparavit.

4. *longa stud. aetas*] i. e. longum tempus in studiis consumptum.

laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit. Id autem maxime hoc modo consequemur.

Nota sit primum dicendi via. Neque enim prius 5
contingere cursus potest quam scierimus, quo sit et qua perveniendum. Nec satis est non ignorare, quae sint causarum iudicialium partes, aut quaestionum ordinem recte disponere: quanquam ista sunt praecipua: sed quid quoque loco primum sit ac secundum et deinceps: quae ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. Quisquis 6
autem via dicet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie velut duce: propter quod homines etiam modice exercitati facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde, quid quoque loco quaerant, scient, nec circumspectabunt nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur nec confundent ex diversis orationem, velut salientes huc illuc nec usquam insistentes.

---

§. 5. *quae sint*] Libri *sunt* praeter ed. Colon. Ferri posse indicativum non nego: at idem ego scio in talibus non nimium esse codicum auctoritati tribuendum. Cf. ad 5, 1. — *ista sunt*] Tur. et Fl. *sint*, ut 1, 2. al.

---

malit] Subiectum ex antecedentibus *cui* — *laborandum est* facile elicitur.

5. *causarum iud. partes*] sc. prooemium, narratio, probatio, refutatio, epilogus. Cf. ad 1, 50.

quaestionum ordinem] *Quaestiones* hic intelligendas esse partes primarias, quae in causis iudicialibus explicandae sint, docet Herzog. Cf. VII, 10, 5.

6. *via dicet*] i. e. ordine et ratione utetur in dicendo. *Spald.*

ante omnia — Deinde] Cf. V, 13, 6. [et supra ad 2, 4.]. Insolens tamen, quod post *quisquis* secundo loco pluralem usurpat; sed intervenerant isti *homines*, ad quos deflexit oratio. *Sp.*

huc illuc] Ubi haec verba quasi in unam notionem coeunt, non opus est copula. Sic Cic. Att. IX, 9, 3. extr. „ne forte — cursum *huc illuc* via deterrima." Ubi vero ad utramque partem respiciendum est singulatim, interponitur semper copula. Cf. Cels. II, 15. „Uni pedi lecti fulcimentum subiiciendum est, atque ita lectus *huc et illuc* manu impellendus." Adde Cic. pro Cael. c. 6. Fin. V, 28. extr. Saepe tamen interlicitur copula, ubi omitti poterat, velut apud Cic. de

7 Postremo habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quae proposuerint, pervenisse se ad ultimum sentient.

Et haec quidem ex arte, illa vero ex studio: ut copiam sermonis optimi, quemadmodum praeceptum est, comparemus; multo ac fideli stilo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem etiam quae subito effusa sunt reddant, ut cum multa scripserimus, etiam
8 multa dicamus. Nam consuetudo et exercitatio facilitatem maxime parit: quae si paululum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed ipsum os quoque

---

§. 7. *Expletis*] „Abruptius Qu. paucis concludit, quasi dixerit *Ut praecidam, expletis* etc. Quare hoc vocabulum primo loco posuit, ut nulla particula coniunctiva opus esset." *Gernh.* Spald. invitis codd. addendum putaverat *enim*. Wolff. malebat *et expl.*, Frotsch. *expletisque*. Facillime defectus copulae toleratur in sententiis explicandi gratia adiectis. — *effusa sunt*] Coniunctivum, quem dant Guelf. Par. 1. 6. Ambr. 2., recepit Zumpt. Vulgatam defendit Herzog. — *etiam multa*] Tur. *etiamque multa*. Idem a sec. m. *etiam quam multa*, quod adscivit Frotsch. *etiam qui m.* Ienson. cum edd. ante Ald. Mihi haec scriptura ex antecc. *etiam quae* originem videtur traxisse. — §. 8. *os quoque concurrit*] e Gesneri coniectura. Codd. optt. *atque conc.* Reliqui *coit atque concurrit*.

Orat. I, 40, 184. „*huc atque illuc* intuentem vagari." *Huc illuc* plus semel dixit Celsus, *huc illucque* Plin. N. H. XXXVII, 6. De simili usu formularum *ultro citro* et *sursum deorsum* (Gr. ἄνω κάτω) disputat Handius Turs. II. p. 87. sqq. et p. 282.

7. *citra divisionem*] Vid. ad 1, 2. et Hand. Turs. II. p. 83. sq.

nullus] Vid. Grotef. §. 467. Zumpt. §. 688. Cf. supra 4, 4.

quae proposuerint] int. *sibi*. Saepissime autem *proponere* apud recentioris aetatis scriptores absolute dicitur.

arte — studio] *Ars* continetur praeceptis, *studium* exercitatione. *Wolff.*

colorem] *speciem ornatam et splendore aliquo renidentem*, interpr. Spald. ad 6, 5.

8. *quae*] int. *exercitatio*.

os — concurrit] *Concursus oris* est eorum qui, si inter dicendum aut memoria fefellerit aut cogitatio non suffragetur, labiis trepidant etc. *Ernest.* p. 80. Cf. XI, 3, 121. „cum *ore concurrenti* rixari."

quoque concurrit. Quanquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, ut dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus, semperque nostram vocem provisa et formata cogitatio excipiat: vix tamen aut 9
natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inventioni, dispositioni, elocutioni, ordini rerum verborumque, tum iis quae dicit, quae subiuncturus est, quae ultra spectanda sunt, adhibita vocis, pronuntiationis, gestus observatione, una sufficiat. Longe enim praecedat oportet intentio 10
ac prae se res agat: quantumque dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut donec perveniamus ad finem, non minus prospectu procedamus quam

---

struere ulteriora] Inversum verborum ordinem suadere videntur Tur. Flor. (hic a pr. m.) Guelf. Nam ut hic *u. st. possumus*, sic illi *in ora st. possumus* praebent.

---

naturali — mobilitate] Infra §. 22. „mobiliore quodam opus erit ingenio." VI, 4, 8. „ingenio veloci ac mobili."

nostram vocem] Hic verborum ordo mihi quidem nequaquam displicet, quia praecedit *possimus*, in quo latet *nos*, cuius pronominis vis per affine possessivum quodammodo continuatur.

9. *ratio*] i. e. *scientia, ars*. Cf. §§. 7. et 12. Cic. Brut. 74, 258. „non fuit *rationis* aut *scientiae*, sed quasi *bonae consuetudinis*." Quint. XI, 2, 9. „subesse *artem* aliquam iuvarique *ratione* naturam, cum iidem *docti* facere illud, *indocti et inexercitati* non possimus."

ordini rerum verborumque] Significatur *compositio*. *Wolff*. *Rerum ac verborum contextum* dicit Fab. XI, 2, 2. Cf. 6, 2.

quae dicit] *was einer spricht*. *Herzog*. Ne tamen dubites, quin subiectum sit *animus*, confer §. 11. „*oculi* — ante sequentia vident, quam priora *dixerunt*." Maiorem ego hanc licentiam esse statuo, quam ut brevitatis studio excusari possit.

10. *ex ultimo prorogetur*] i. e. *praerogetur*, *repraesentetur*, potestate, ut ait Spald., ad solutionem pecuniarum pertinente. — *ex ultimo* recte Frotscherus intelligit de eo, quod dicendum est, quod reliquum est dicendum post ea, quae nunc cum maxime pronuntiamus. Cf. §§. 8. et 9. Pertinent huc etiam quae leguntur XI, 2, 5. „Nam dum alia dicimus, quae dicturi sumus intuenda sunt. Ita cum semper cogitatio *ultra id, quod est, longius quaerit*, quidquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit."

gradu, si non intersistentes offensantesque brevia illa atque concisa singultantium modo eiecturi sumus.

11 Est igitur usus quidam irrationalis, quem Graeci ἄλογον τριβήν vocant, qua manus in scribendo decurrit, qua oculi totos simul in lectione versus flexusque eorum et transitus intuentur, et ante sequentia vident quam priora dixerunt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, ut ea quae emiserint ultro venire in manus credas et qua iubentur decurrere. Sed hic usus ita proderit, si ea de qua 12 locuti sumus ars antecesserit, ut ipsum illud, quod

---

§. 10. *eiecturi*] Tur. cum Alm. *eluturi*, a sec. m. *elicturi*. Flor. *electuri*. Burm. suadebat *eructaturi*, Spald. *eluctaturi*, quod recepit Frotsch. Ad defendendam vulg. Herz. comparavit XI, 3. 27. „*eiecto* modo *vomitu*" et Cic. in Pis. 6. „*eructando eiicere*."

---

si non] Zumpt. §. 343. Grotef. §. 312. Cf. 1, 92. 3, 15. 7, 2. 22. 29.

concisa] i. e. *minuta, nec iam membra, sed frusta.*

11. *usus qu. irrationalis*] *eine durch lange Uebung erlangte Routine, mechanische Fertigkeit.*

quem] Al. *quam*, ut ad ἄλογ. τριβήν applicetur. Sed cum non nisi alia eiusdem rei denominatio indicetur, perperam posueris *quam*. Simillimus est locus Cic. II. Off. 5. „exhibere motus, *quos* Graeci πάθη nominant." Diversa miscuit Beier. Cic. Or. XI, 36. Egregie disseruit Krueg. Die Attract. p. 104. sq. *Aug.*

qua manus — decurrit] Cic. de Orat. II, 30, 130. „Neque enim quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt cogitatione conquirendae, nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causae sepositа argumenta revolvi nos oportet, sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurant."

12. *ita — si*] Grotef. §. 311. n. 3. Recentioris latinitatis est *ita demum*. Quint. XI, 3, 130. „Ambulantem loqui *ita demum* oportet, *si* — quod dicimus quasi singulis inculcare peculiariter velimus." cf. II, 4, 32. „*Ita* sunt autem speciosa haec et utilia, *si* oriuntur ex causa." Suet. Vitell. 14. „*ita demum* firmiter ac diutissime imperaturum, *si* superstes parenti exstitisset." Plin. Ep. III, 3, 2. „quibus omnibus *ita demum* similis adolescet, *si* imbutus honestis artibus fuerit." Plura exempla dabit Hand. Turs. II. p. 255.

de qua locuti sumus] inde a §. 5—7. *Fr.*

ipsum illud, quod etc.] intelligitur usus ille irrationalis. *Fr.* Cf. supra 2, 3. „Sed *hoc ipsum, quod* — facit;" ubi intelligitur *imitatio*

in se rationem non habet, in ratione versetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur nisi qui disposite, ornate, copiose dicit, sed tumultuari: nec fortuiti ser- 13
monis contextum mirabor unquam, quem iurgantibus etiam mulierculis superfluere video: cum eo quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit, ut succes-

---

§. 13. *video: cum eo quod*] Herz. revocavit *video, quod.* Sed in optt. codd. solum *video* omittitur.

---

in rationc versetur] i. e. arte, artisque et rationis praeceptis contineatur. *Wolff.*

tumultuari] II, 12, 11. „Invenias — qui brevem dicendi exercitationem consecuti, omissa ratione, ut tulit impetus, passim *tumultuentur.*" VII. prooem. §. 3. „Oratio carens ordine *tumultuetur* necesse est et sine rectore fluitet nec cohaereat sibi."

13. *fortuiti sermonis contextum*] „*den Zusammenhang eines zufälligen Gespräches*" reddit Herzog. Tu *fortuitum sermonem* intellige *orationem temere conflatam, non meditatam.* Cic. de Orat. I, 33, 150. iungit *subitam* et *fortuitam orationem*, eique opponit *commentationem* et *cogitationem.* Item apud Tacit. Dial. 10, 10. *fortuita et subita dictio* est oratio extemporalis. Cf. supra 3, 20. — *Contextum* interpretantur *continuam* sive *perpetuam nec interruptam seriem orationis.* Cf. §. 26. et 3, 20.

cum eo quod] Peculiaris est formula *cum eo*, qua et ea conditio significatur, quae cum aliqua re cohaeret innexa sive innata, et ea, quae alicui rei substruitur vel superstruitur, ut sit: *hac addita conditione* vel *exceptione, sub hac lege, sub hac conditione.* Intelligitur enim coniunctio, ut dicitur *cum edicto.* Sequitur *quod* et *ut.* Ubi vero sententia aliam praecedentem restringit et singulari conditione vincit, additur *quidem* et *tamen.* Cf. Nolten. Lex. p. 1413. Spalding. ad Qu. II, 4, 30. X, 7, 13. Ita loquuntur scriptores post Livium, inprimis Celsus (vid. Rhodius ad Scribon. 135. p. 208.): non autem Cicero, nisi in epistolis ad Atticum, et semel quidem aut raro. Cuicumque sententiae potest hoc modo addi conditio. *Hand.* Turs. II. p. 166. At nostro loco nulla significatur conditio, non magis quam II, 4, 30., ubi Spald. formulam *cum eo quidem, quod* explicat „quo quidem et hoc accedit, quod" etc. Ex mea quidem sententia non inepte reddideris *nicht zu gedenken, dass* vel *abgesehen davon, dass.* Puto autem utroque loco Quintilianeo formulam per se constare: in quo discedo ab Herzogio, quem secutus Augustus verbo ex antecedentibus repetendo locum sic explanavit: „Pariter nunquam mirabor, quod ex tempore dicendi facultas interdum optime succedit."

tulit] agitavit nos et concitavit. *Fr.* Nos abripuit divina aura afflatos. *Aug.*

ut successum — non possit] ita intellige: ut successus orationis extemporalis vincat successum curae et meditationis." *Sp.*

14 sum extemporalem consequi cura non possit. Deum tunc affuisse, cum id evenisset, veteres oratores, ut Cicero ait, dictitabant. Sed ratio manifesta est. Nam bene concepti affectus et recentes rerum imagines continuo impetu feruntur: quae nonnunquam mora stili refrigescunt et dilatae non revertuntur. Utique vero, cum infelix illa verborum cavillatio accessit et cursus ad singula vestigia restitit, non potest ferri contorta vis, sed, ut optime vocum singularum cedat electio, non continua, sed composita est.

15 Quare capiendae sunt illae de quibus dixi *rerum imagines*, quas vocari φαντασίας indicavimus, omnia-

---

§. 14. *id evenisset*] Tur. *inter*. Fl. *interim*. Alm. *id evenisset em mi*, unde Burm. eruit *cum maxime*, cuius glossema fuerit *cum id evenisset*. — *ait, dictitabant*] Sic Camp. Omisso *ait* Guelf. et Ambros. 2. *dictitabant*. Al. *dicit aiebant* (*agebant*). Coniecit Frotsch. *Deum tunc affuisse, interim veteres oratores et Cicero dictitabant*.

---

14. *ut Cicero ait*] XI, 3, 128. „ut ait Cicero." Sed locum, in quo tale quid dixerit Cicero, frustra quaesieris.

mora stili refrigescunt — non revert.] Cf. 3, 6. et 33.

infelix illa verborum cavillatio] Vid. ad 1, 115.

restitit] Immerito Spaldingius probabat Obrecht. scripturam *resistit*. Non magis audio Frotscherum, *restitit* ἀορίστως dictum putantem. Rem praeteritam significari, vel praegressum *accessit* indicat.

contorta vis] Cum apud Latinos *contorqueri* hasta vel iaculum diceretur, quod, ante quam emitteretur, manibus agitatum vibrabatur, ut eo maiore cum vi et vehementia et celeritate ferretur (cf. Virg. Aen. II, 52. VII, 165. XII, 490.), hinc quidquid in oratione vehementius animos feriret, sive ob celeritatem pronuntiandi ex acuta brevitate ortam sive ob impetum et spiritum et vim dicentis aliquo affectu concitati, id omne *contorqueri* et *contortum* dictum est. *Ernest.* p. 94. Cf. ad 1, 60. init.

ut — cedat] est concedentis. Vid. Zumpt. §. 341. Grotef. §. 515. et inprimis §. 540.

15. *capiendae — rerum imagines*] i. e. *concipiendae visiones*. VI, 2, 29. sq. „Quas φαντασίας Graeci vocant, nos sane *visiones* appellemus: per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur. Has quisquis bene *conceperit*, is erit in affectibus potentissimus." Quem ipsum locum hic respicit Fabius. Cf. VIII, 3, 64. „An quisquam tam procul a *concipiendis imaginibus rerum* abest, ut non" cet. XI, 3, 62. „primum est bene affici et *concipere imagines rerum*." XII, 10, 6. „*con-*

que de quibus dicturi erimus, personae, quaestiones, spes, metus, habenda in oculis, in affectus recipienda. Pectus est enim, quod disertos facit, et vis mentis. Ideoque impenitis quoque, si modo sint aliquo affectu concitati, verba non desunt. Tum intendendus ani- 16
mus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut, si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia quae sunt in ea circaque intuemur, non ultimum tantum videmus, sed usque ad ultimum. Ad dicendum etiam pudor stimulos habet et dicendorum exspectata laus: mirumque videri potest, quod cum stilus secreto gaudeat atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles concentu signorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et ex- 17
pellit dicendi necessitas, et secundos impetus auget

---

§. 15. *si modo sint*] Ita Tur. Flor. Par. 1. Reliqui *sunt*, quod restituit Herzog. — §. 16. *concentu*] Ita Flor. cum multis edd. pro *congestu*. — §. 17. *pretium*] non aliud significat hac aetate quam *praemium*, quod alii dederunt de Regii coniectura.

---

cipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, Theon — est praestantissimus." Cf. Ernest. p. 421.

dicturi erimus] Vide mihi Fabium accurate utentem verbi temporibus. Similiter Cic. de Orat. I, 52. pr. „apud quos aget aut erit acturus." Id. de Inv. I, 16. „ea quae dicturi erimus." *Fr.*

habenda in oculis] VI, 2, 31. „non omnia, quae in re praesenti accidisse credibile est, *in oculis habebo?*" In seqq. attende transpositionem concinnitati contrariam, sed quaeri solitam a Latinis scriptoribus.

Pectus — et vis mentis] Per chiasmum *pectus* ad posteriora „*in affectus recipienda*", contra ea *vis mentis* ad priora „*habenda in oculis*" refertur. Cf. ad 5, 15.

16. *circaque*] Adverbium *circa* hic de eo dicitur, quod ab utroque latere est.

17. *expellit*] Auget hoc et intendit id quod praecesserat *exprimendi* verbum, et in utroque est vehementiae et nisus, per quem aliquid eluctamur, significatio. Sic erant 3, 6. „*expulsuri* tela." Respondent ei contra *secundi* impetus." *Sp.*

Adeo — ut] Non aliam hic habemus orationis formam quam 1, 76. „*tanta* vis in eo — *ut*" cet. et 1, 114. „*tanta* in eo vis est — *ut*" cet. 5, 18. „*ita* illi coelum novum fuit, *ut*" cet. Ab his differunt ii

placendi cupido. Adeo pretium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quanquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen praesenti fructu laudis
18 opinionisque ducatur. Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere; sed sicut in cogitatione praecepimus, ita facilitatem extemporalem a parvis initiis paulatim perducemus ad summam: quae neque perfici neque con-
19 tineri nisi usu potest. Ceterum pervenire eo debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior; cum

---

§. 18. *praecepimus*] Tur. Flor. cum aliis quibusdam libris *praecipimus*. — *facilitatem ext.*] Sic Tur. Fl. Camp. Reliqui inserunt *quoque*, quod vocabulum exulare aegre se pati ait Herzog.

---

loci, in quibus post *adeo*, *ita*, *tum*, *tantus* cet. non infertur *ut*. Vid. ad 1, 69. Annotavi haec propter Spaldingium, qui malebat *et — ducitur*, ut essent haec epiphonematis loco (v. Hand. Turs. I. p. 152. m.), non iustae et a reliquis diremtae sententiae, quam abrupte nimis induci putabat.

18. *id*] scil. *ut ex tempore dicere possit*. Cf. seqq. et supra §. 4. extr.

sicut in cogitatione praecepimus] Intellige: *ut per modica incrementa vis augeatur*. Vid. 6, 3.

quae] non spectat proxime antecedentem *summam*, sed remotiorem *facilitatem ext.* Manifestum hoc est e §. 19. cf. §. 8. et §. 24. De relativi significatione ad 5, 14 diximus.

19. *Ceterum pervenire eo debet*] scil. dicendi studiosus. *Aug.* Immo *facilitas extemporalis*, quae statim significatur pronomine *ea*. Vid. ad 6, 4. Non capio Herzogium, haec sic vertentem: „Uebrigens muss es *als Grundsatz gelten*."

non utique melior — sed tutior] i. e. *tutior tantum, non melior*. Comparare licet Graecorum *μὲν οὔ — δέ*, quam dicendi formam illustravi ad Xenoph. Symp. II, 19.

cum — Archias] Haec adduntur, ut spes sit, eiusmodi extemporalem facilitatem contingere posse. *Wolff.* Novam hanc periodum esse, quam claudant verba „*utile exemplum*", eandemque in anacoluthis habendam, cum „*quod tamen*" propter longiorem parenthesin „*Credendum — faciant*", quam Sarpe Anal. p. 18. primus animadvertit, pro *hoc tamen* dictum sit, apparet, si superiora consideras, quibus, etsi *ea* in verbis „*non utique — tutior*" eandem *hanc facilitatem* significet, editores tamen novae sententiae verba arctius coniunxerunt. Apodosis autem „*quod tamen*" ad sensum magis quam ad formam verborum „*Cum hanc facilitatem*" seqq. comparata est, quasi omisso „*Cum*" praecessisset „*Hanc facil.*" cet. Similia observavimus 5, 1. et XI, 1, 78. *Gernh.* Cui ne temere assentiaris, id unum moneo, si verba „*quod tamen*" sqq. apodosin

hanc facilitatem non prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant. Quod tamen non ipsum tam probabile puto (neque enim habet aut usum res aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem, qui foro praeparantur, utile exemplum. Neque vero tantam esse unquam fiduciam facilitatis velim, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea quae dicturi simus dispicienda sumamus; quod quidem in iudiciis

---

§. 19. *facilitatem*] Invitis Codd. Spaldingius *felicitatem* scripserat. — *enim*] Herzog. cum Tur. et Flor. *ergo*. Idem mox *tamen quod ipsum non tam*, non addicentibus libris et laesa oratione.

---

facere statueris, absonam ac prorsus ineptam exsistere sententiam. Ita enim Fabius *facilitatem extemporalem* ne in prosa quidem aut usum aut necessitatem habere diceret. Recte Wolfius; cuius mente, ut videtur, non percepta Herzog. „*cum*" per concessivam „*obschon*" reddidit: quo facto sententiam plane corrupit. Ex eo autem quod „*hanc facilitatem*" illatum videmus post „*ea*", in quo haesit Gernhardus, nihil apparet aliud quam studium perspicuitatis: nec facile dixerit vir doctissimus, quid in illorum verborum locum substitui potuerit: nam *eam* ne ipse quidem toleraverit.

prosa — carmine] Gernhardus, qui invitis optt. codd. *in prosa — in carmine* revocavit, praepositionem esse necessariam dicit, ne instrumenti intelligantur ablativi. Idem comparat Cic. de Orat. III, 50, 194. „quanto id facilius *in oratione — consequemur*." Sed recte respondet Herzogius, non idem esse *in oratione* aliquid consequi et *oratione*. „Teneant modo, inquit, tirones, nostro loco voces *prosa* et *carmine* sensu quem dicunt absoluto s. abstracto usurpatas esse, ideoque optime habere ablativum, sive instrumentalem sive modalem dixeris. Cfr. de *in* particula vel reiicienda vel retinenda Oudend. ad Suet. Caes. 56. extr."

Antipater — Archias] Vid. Cic de Orat. III, 50. et pro Arch. c. 8.

non quia] Poteram aequales memorare, sed malo Ciceronis auctoritate uti, cui fidem negare nemo audebit. *Gesner.*

non ipsum] Haec verborum collocatio defenditur eo, quod facilitati versus fundendi, quae verbis „*quod ipsum*" significatur (cf. ad §. 12.), opponitur exemplum exhortandis in hanc spem futuris oratoribus utile.

20. *quod quidem*] Omissis his verbis, quae in optimae notae codicibus desunt, Spaldingius, cui Wolff. et Frotsch. assentiuntur, scribendum suspicabatur „*saltem tempus ad ea, quae dicturi simus, dispicienda sumamus: quod nusquam fere deerit, in iudiciis ac foro*

ac foro datur semper. Neque enim quisquam est, qui
21 causam, quam non didicerit, agat. Declamatores quosdam perversa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint: quin etiam, quod est in primis frivolum ac scenicum, verbum petant, quo incipiant. Sed tam contumeliosos in se ridet invicem eloquentia: et qui stultis videri eruditi volunt, stulti
22 eruditis iudicantur. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio et vis omnis intendenda rebus et in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum, si consequi utrumque non dabitur. Tum et tardior pronuntiatio moras habet et suspensa ac velut dubitans oratio: ut
23 tamen deliberare, non haesitare videamur. Hoc,

---

datur semper." „At non, inquit Gernhardus, *quod — deerit* et *quod — datur* comparanda inter se sunt, sed *sumamus* et *datur*, cui *quod quidem* (scil. *tempus*) nominativus praefigi debebat, cum praecedens *tempus* esset accusativus." Rectius etiam Herz. *quod quidem* non ad *tempus* solum referri iubet, sed ad totam enunciationem: *tempus sumere ad disp.* sqq. Idem contulit I, 10, 11.: „*quod si datur*" sc. musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse coniunctam. Infra §. 22. et §. 29. „*si id non dabitur.*" XI, 3, 127. „interim tamen *recedere* sensim *datur.*"

21. *ambitio*] hic non est gratiae studium, sed vanae gloriae affectatio. *Fr.*

exposita controversia — velint] Cf. quae de Isaeo rhetore scribit Plinius Ep. II, 3.

qui stultis — iudicantur] Egregia est oppositionis proprietas in hisce *videri volunt — iudicantur*. *Sp.* De dativo *eruditis* vid. Zumpt. §. 419. et inprimis Grotef. §. 13. cl. §. 391.

22. *tam subitam*] Nusquam *tam* absolute dictum invenimus, ut sit nostrum *so sehr*. Hic spectat ea quae legebantur §. 20. Cf. §. 21. „*tam* contumeliosos." et quae congessit Grysar. p. 539.

in praesentia] Locutioni *in praesentia* inest levis contemnendi color, quasi acquiescentis quidem in re, quam tamen non probet quamque aliquando futuram meliorem exspectet. *Spald.* ad IX, 4, 109. Legitur eadem formula V, 7, 15. Plin. Ep. I, 7, 3. al. Cf. Zumpt. §. 315.

23. *Hoc*] Intelligi iubent *fieri potest*, ut VI, 4, 10. „*Hoc*, dum ordo est et pudor: contra turbantes audendum et impudentiae fortiter resistendum." XI, 1, 76. „*Hoc* et apud eos, a quibus appellatum erit, si forte ad eosdem remittemur." Similis breviloquentia est XI, 1, 144. „*Sed haec amictus observatio*, dum incipimus: procedente vero actu" sqq. Male Herzog.: „*So gehts, wann* wir aus *einem* Hafen auslaufen." Cf. annot. sequentem.

dum egredimur e portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paulatim simul euntes aptabimus vela et disponemus rudentes et impleri sinus optabimus. Id potius quam se inani verborum torrenti dare, quasi tempestatibus, quo volent, auferendum.

Sed non minore studio continetur haec facultas 24
quam paratur. Ars enim semel percepta non labitur, stilus quoque intermissione paululum admodum de celeritate deperdit: promptum hoc et in expedito positum exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum simus iudicio atque opinione soli-

---

§. 24. *percepta*] In aliquot libris *praecepta*. — *labitur*] Codd. *capitur*, quod restituit Zumpt., non addita interpretatione. Herzog. legendum censet: „*Ars enim semel* (tantum) *praecepta non capitur*", quod interpretatur *intelligitur*. At ita exsistit sententia, cui et antecedentia et consequentia quam maxime repugnent.

---

dum egredimur — ventus] i. e. dum incipimus, si nos, quae dicturi simus nondum satis dispectis, urgebit agendi necessitas. — De comparatione subito oborta vid. ad 1, 4. In hac egregia similitudine recte Spaldingio iteratum verbum *aptare* displicuit.

Id potius] Sic omissa copula *est* 5, 20. „*Melius hoc* quam rescribere veteribus orationibus."

24. *Ars — non labitur*] i. e. via dicendi, ratione ac praeceptis comprehensa — non excidit animo. -Virg. Georg. I, 64. „Quam nostro illius *labatur* pectore vultus." „Ceterum gradus esse in hisce unicuique facile apparet; ars firmissime durat; stilus ipse non multum damni accipit a defectu exercitationis; promtum hoc ex tempore dicendi artificium solo usu tenetur." *Sp.* Non poterat providere vir venerabilis, exstiturum aliquando qui diceret, hoc velle Quintilianum, „aeque magna cura ac diligentia opus esse ad extemporalem illam facultatem acquirendam atque ad illam continendam." Hanc enim sententiam nuper proposuit Herzogius eamque confirmare studuit longa annotatione. Cf. ann. crit.

paululum admodum] Supra 6, 1. „*paucis admodum*." ubi vid. ann. Herzogius iungit *intermissione paululum*, ut haec evadat sententia: *paululum intermissus, admodum deperdit.*

de celeritate deperdit] Cic. Verr. II, 80. „ne quid *de libertate* deperderet."

atque opinione] Ante Spaldingium legebatur *ac opinione*. Sed „*ac* non poni ante vocabula a vocali et ab *H* littera incipientia, nunc post

citi: rarum est enim, ut satis se quisque vereatur. Vel soli tamen dicamus potius quam omnino non dicamus. Est et illa exercitatio cogitandi totasque materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra se ipsum) persequendi, quae nullo non et tempore et loco, quando non aliud agimus, explicari potest et est in parte utilior quam haec proxima. Diligentius

---

non omnino] Suadente Gesnero Spald. transposuit. — §. 25. *Est et illa*] Facile obliterari potuit *et*, quod Spald. inserendum esse vidit. In plerisque libris legitur *Est alia*. Vid. annot. — *utilior*] Optt. codd. exhibent *utilitatis*.

---

longas virorum doctorum disputationes satis demonstratum videtur" cet. *Hand.* Turs. I. p. 454. sqq. Quanquam post alia vocabula in *C* exeuntia vocalis saepe reperitur. Sic modo erat „*hoc uti*." §. 6. „*huc illud.*" 6, 1. „*nec ubique.*"

rarum est — ut] IV, 1, 46. „in foro *rarum*, *ut* sit idoneus suae rei quisque defensor." Contra Plin. Ep. VII, 30, 4. „adeo *rarum* est *invenire* idoneos conductores." Cf. Zumpt. §. 623.

25. *Est et illa ex.*] *Man hat auch jene Uebung.* XI, 3, 128. „*Est et illa* indecora in dextrum ac laevum latus vacillatio alternis pedibus insistentium." IX, 3, 20. „*Sunt et illa* non similia soloecismo quidem, sed tamen numerum mutantia, quae" etc. Ibid. §. 35. „*Est et illud* repetendi genus, quod" cet. V, 13, 51. „*Est et illud* vitium nimium soliciti et — luctantis." VI, 1, 50. „*Sunt et illi* leniores epilogi, quibus" cet. In pronominis *ille* locum succedit *hic*, ponitur que pro *et* voc. *quoque* IX, 3, 12. „*Haec quoque est* (sc. figura), quam ἐτέρωσιν vocant." Hos similesque locos si contuleris, non probabis aut Zumptii scripturam „*Est alia exercitatio*" aut interpretationem Herzogii Germanicam „*Auch wenn man meditirt — und durchgeht, gilt als eine Uebung, welche*" cet.

dum tamen — dicat] Particulae *dum* adiicitur *tamen*, ut oppositione augeatur conditionis vis. *Hand.* Turs. II. p. 326. Sic II, 12, 7. „Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, *dum tamen* constet, contumeliose sic laudari disertum." Cf. Cic. de Orat. II, 77, 314. — Ad verbum *dicat* intelligunt „*qui hac exercitatione utitur.*" Minus dum haec subiecti ellipsis videbitur reputanti, in vv. *cogitandi* et *persequendi* subiectum latere indefinitum. Cf. ad I, 7.

intra se ipsum] Alibi in hac locutione pronomen *ipse* nominativo effertur, velut apud Tucit. Dial. 3, 3. „Hanc enim tragoediam disposui iam et *intra me ipse* formavi." Supra 6, 2. „*intra se ipsa* (cogitatio) disponit;" ubi v. ann.

explicari] Inest etymi vis, ut quasi tota aliqua res nullis vel temporis vel spatii angustiis coartata expromi possit. Cf. 1, 121. *Sp.*

in parte] Comparavit Frotsch. II, 8, 6. „Quod mihi — *in parte* verum videtur." et Liv. XLIV, 9. „*in parte* simulacrum decurrentis

enim componitur quam illa, in qua contextum dicendi intermittere veremur. Rursus in alia plus prior confert, vocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui et ipse, ut dixi, excitat oratorem et iactatione manus, pedis supplosione, sicut cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendum vero 27
semper et ubique. Neque enim fere tam est ullus dies

---

exercitus erat, *ex parte* elegantioris exercitii quam militaris artis." Cf. Hand. Turs. II. p. 632. „Multiplex igitur usus erat, in quo *ex* ad locum et statum designandum pro *in* ponebatur. Quo pertinet etiam *ex parte*, *ex aliqua parte*, *ex altera parte*. Priscianus p. 1294. „Attici πρὸς μέρος καὶ ἐν μέρει. Nostri quoque *ad partem* et *in parte* et *ex parte*." Cf. Tom. I. p. 180. *Ad partem* quis veterum scriptorum dixerit, non adnotatum habet Handius.

haec proxima] quae in iis, quae proxime antecedunt, est proposita *Wolff*. Mox §. 26. dicitur *prior*.

26. *componitur*] Cum exercitatio ipsa dicitur *componi*, intelligendus est animus eius, qui se exercet. Is enim accuratius severiusque ad prudentem rerum dicendarum delectum *componitur* et temperatur cet. *Sp.* At Herzogio, recte a Spaldingio dissentienti, intelligenda videtur *cogitatio* vel *oratio*, *quam cogitando persequimur*. Facit eum eo August. Sed quum huic quoque rationi multa obstent, nescio an *componitur* rectius impersonaliter dictum putemus, ut sequens *illa* sit ablativus: *Diligentius enim hac exercitatione cogitandi componitur quam illa, in qua vere dicimus aut coram aliis aut soli.*

intermittere veremur] De infinitivo v. Zumpt. §. 533. Grotef. §. 57.

Rursus] proprie dicitur pro *contra*, *ex adverso*. Vide Serv. ad Virgil. Georg. III, 138. *Sp.* Cf. Curt. III, 8, 21. IX, 2, 9. ubi sane licet interpretari *contra*, sed quod Germanice dicas *hinwiederum*.

in alia] *in alias res*. Sequentes accusativos *firmitatem*, *facilitatem*, *motum* epexegesi inservire et pendere ex praepositione *in*, iam Spald. observavit. — *Oris facilitatem* Wolff. interpretatur *natürliche Leichtigkeit des Sprachorgans*. Sic XI, 3, 30. „*os facile*." et §. 40. „*vox facilis*."

ut dixi] 3, 21.

iactatione — supplosione] *Supplosio pedis* terram vehementer concutientis pars actionis oratoriae, et παθητικῆς quidem, quam saepe rhetores commemorant. cf. Cic. de Orat. I, 58. III, 59. Brut. 38. Quint. X, 7, 26. XI, 3, 138. Fusius de hoc genere disputavit Cresollius Vacatt. Autumn. II, 1. p. 375. sqq. cf. Senec. Epist. 75. ubi *supplodere pedem*, *manum iactare*, *attollere vocem* ut oratoriae contentionis propria iunguntur. *Ernest.* p. 391.

leones] Comparant Hom. Il. XX, 170. Hesiod. Scut. Herc. v. 430 sq. Longin. de subl. XV, 8. Plin. N. H. VIII, 16, 19.

occupatus, ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum aut legendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti
28 exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum, quod eidem Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Scri-

---

§. 27. *lucrativae — operae*] Tur. *lucra vel ut — opera*. Flor. *lucretur vel ut — opera*. Par. 1. *lucri vel*, quod et in edd. nonnullis legitur.

---

27. *lucrativae — operae*] *Lucrum* inprimis est quod insperatum commodis nostris acquiritur. Itaque *operam lucrativam* a Quint. dici potuisse censeo quidquid operae iniunctis et necessariis laboribus negotiisque velut surriperetur et dilectis studiis accederet. Simili modo *subseciva temporum* dixit I, 12, 13. *Sp.* Idem observat, eius aetatis scriptores non abhorruisse a fingendis talibus adiectivis. Iurisconsultis *lucrativum* appellatur quidquid cum lucro coniunctum est. — Ciceronis locus, quem hic ante oculos habuerit Quintilianus, non alius demonstratur ab interpretibus quam qui exstat Orat. 10, 34. ubi haec leguntur: „Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinae."

C. Carbo — in tabernaculo] C. Papirius Carbo, eloquentissimus sui temporis patronus, tribunus factus Gracchanarum turbarum socius fuit. In consulatu sanior L. Opimium, qui C. Gracchum interfecerat, ad populum defendit. Nusquam autem eum bellicas res gessisse legimus, ut in tabernaculo meditari potuerit. Suspicatur igitur Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. XXXVII., Quintilianum rerum castrensium commemorationem, Cn. Papirii Carbonis ter consulis, Cinnae amici, Sullae adversarii, imagine obversante, fortuito admiscuisse. Similes errores notavimus 1, 22. 66.

28. *Ciceroni placet*] Frustra quaesivi, quod reliqui securi transcurrerunt, ubi hoc esset apud Ciceronem. Qui locus dum appareat, ignorabimus, quantum ex ipso sumserit noster, quid de suo addiderit. Id quod hic deesse videtur *debere* post vel ante *esse*, minus necessario desideratur, quia praecedit *placet*. *Sp.* Sic Cic. Orat. 31, 115. „Ergo eum *censeo*, qui eloquentiae laude ducatur, non *esse* earum rerum omnino rudem." ubi Lambin. parum caute addit *oportere*. Vid. nos ad Xenoph. Comment. de Socrate I, 2, 34. Frotsch. ablegat ad 1, 33., qui locus aliter comparatus est.

portione] Cicero dixisset *parte*, Dronk. ad Tacit. Agric. p. 168. *Aug.* Est tamen apud Cic. Verr. VII, 21. extr. „Nunquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis *pro portione* imperaretur."

bendum certe nunquam est magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita enim servabitur pondus, et innatans illa verborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas vitis radices amputant, quae illam in summum solum ducant, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac nescio an, si utrum- 29
que cum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit; si id non dabitur, cogitandum: ab utroque exclusi debent tamen anniti, ut neque deprehensus orator neque litigator destitutus esse videatur.

Plerumque autem multa agentibus accidit, ut 30
maxime necessaria et utique initia scribant, cetera

---

§. 29. *si utrumque*] *si* Frotscherus ascivit e Tur. Flor. Camp. Recte. „Neque enim, ut ait Zumptius, *cura aliquid facere* sine praepositione ferri potest." Vulgatam tamen servavit Hand. Turs. I. p. 498.

---

innatans] *Innatant*, ἐπιπολάζει, quae in superficie tantum sunt, ad internam rerum naturam non pertinent. *Wolff.* Cf. VII, 1, 44. Advocant huc VV. DD. Colum. IV, 8., qui rusticorum illud artificium amputandi summas radices vitium tangit de eoque praecipit. cf. et I. H. Vossium ad Georg. lib. II. p. Comment. 394. *Ablaqueationis* est vocabulum. *Sp.* Seq. *in altum* int. *in profundum.*

proximas] sc. ad summum solum, summas.

29. *Ac nescio an*] *Und so weiss ich nicht, ob nicht; und so möchte vielleicht.* Vid. ad 2, 20. Seq. *utrumque* int. *et scribere et dicere.*

exclusi — tamen] Participio inesse vim particulae concessivae, *tamen* indicat.

deprehensus] quippe *ex tempore dicere coactus.* I, 12, 4. „nos agendi subita necessitate *deprehensi.*" VI, 3, 100. „*Deprehensi* interim pudorem suum ridiculo aliquo explicant." XII, 8, 6. „Deinde *deprehenduntur* et causam, quam discere ex suis litigatoribus noluerunt, ex adversariis discunt." XII, 9, 20. „Sed sive in respondendo fuerit subito dicendum sive quae alia exegerit ratio, nunquam *oppressum* se ac *deprehensum* credet orator, cui disciplina et studium et exercitatio dederit vires etiam facilitatis." Bene Herzog. vertit *überrascht.*

quae domo afferunt cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti; ut causarum quae sunt actae a Ser. Sulpicio, cuius tres orationes exstant; sed ii de quibus loquor commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur
31 esse compositi. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc brevem an-

---

30. *commentariis*] libris, ut ait Wolffius, summam causae agendae complectentibus, qui ab oratoribus ad rerum dispositionem et memoriam conficiebantur. Interdum eiusmodi rhetorum et grammaticorum commentarios vulgatos esse apparet ex I, 5, 7. Cf. Grysar. p. 251. et inprimis Ellendt. Hist. Eloqu. Rom. 50. p. XCII.

digesti] secundum ordinem aliquem et artificiose distributi, ordinati, ut memoriae posteritatis traderentur.

causarum — tres orationes] Cum non plures tribus orationes prodierint Ser. Sulpicii, aliquam multas tamen egit causas: quarum cum forte modo servati videri possint commentarii, tamen curam paene posteritati scribentis ostendunt. De ipso cf. 1, 116. *Sp.*

exacti] *perfecti.* Vid. ad 2, 14.

31. *Nam*] hic, ut saepe, transitioni servit, ut causae notio prorsus absit. Recte autem habet *nam*, non *iam*, cum sententia in transcursu, perfunctorie, quasi παρενθέτως interseratur. Vid. Heindorf. ad Cic. N. D. I, 12, 30. Ellendt. ad Cic. Brut. 43, 159.

excuso] Excusaverat enim Fabius Ciceronis commentarios minus exactos eo, quod eos dixerat non in memoriam posteritatis ab illo compositos, sed ad praesens modo tempus aptatos a liberto Tirone contractos et in angustum redactos fuisse. Aliter Herzogius, cui *excusare* idem est quod *rei causam et rationem offerre*, quasi Qu. hoc significare voluerit: „*quos ita contractos esse non iccirco commoro, ut vituperare videar, sed ut ex vero aestimentur.*" Non rectius August. ablegat lectores ad Held. Caes. B. C. III, 20., qui locus nostro est dissimillimus.

quia non probem] Sic §. 19. „*non quia — non* et *fecerint* quidam hoc et *faciant.*" Vid. Zumpt. §. 537. Grotef. §. 536.

in hoc genere] sc. in actione extemporali. Opponuntur §. 32. „*quae scripserimus.*"

notationem libellosque, qui vel manu teneantur et ad quos interim respicere fas sit. Illud, quod Laenas 32
praecipit, displicet mihi, vel quae scripserimus in commentarium et capita conferre. Facit enim ediscendi negligentiam haec ipsa fiducia, et lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne scribendum quidem puto, quod non simus memoria persecuturi. Nam id quoque accidit, ut revocet nos cogitatio ad illa elaborata nec sinat praesentem fortunam experiri.

---

§. 32. *vel quae — conferre*] Locus plane corruptus, quem nemo adhuc probabiliter correxit. Codices hanc fere exhibent scripturam: *ne (nec) in his, quae scripserimus vel (velut) summas (sine, in) commentarium et cap. conferre.* Vulg. *quae scripserimus, in summas, sive commentarios et capita conferre.* Spald. proponit: *vel in iis quae scripserimus velut in summas commentarium et capita conferre.* Frotscherus: *nec in his quae scripserimus, velim, summas in commentarium et capita conferri.* Quam coniecturam recepit Gernh., nisi quod *conferre* servavit. Contra Herz. *quae scrips. velut in summas commentariorum et capita conferre*, quem secutus est Aug. Nuper Zumpt. dedit: *quae scrips., velut in commentarium summas et capita conferre.* Non dubito, quin nonnulla eorum, quae in codd. leguntur, interpreti alicui debeantur. Cf. Cic. Brut. c. 44., „non est oratio, sed quasi *capita rerum et orationis commentarium.*" — *ediscendi*] Sic Zumpt. cum Amb. 2. Al. *edisendi* vel *et discendi.* At Tur. Fl. Camp. simpliciter *discendi.* — *quod non simus*] Spald. omisit *non*, quod praeter alios libros tuetur Tur. Cf. ann.

---

recipio — annotationem] i. e. probo (δέχομαι) hanc, de qua iam dixi, annotationem, qua summa orationis habendae est conscripta. Ita Wolff.

32. *lacerat ac deformat*] Cum enim quaedam eorum, quae scripta sunt in commentariis amplioribus, memoriae adhuc obversentur, quaedam exciderint, quaedam ex parte tantum se ostendant emergantque: hinc tenorem orationis multum interpellari ac dissimilitudinem quandam oriri necesse est, quin illa *concurrentis oris* vitia exsistere, de quibus XI, 3, 121. *Gesn.*

quod non simus] Recte recentiores editores *non* restituerunt. Agitur enim, ut ait Gernhardus, de facultate ex tempore dicendi, opposita illa, de qua §. 30. dixit, initia scribendi consuetudine. — *memoria persequi* Herzog. interpretatur „*a capite ad calcem omnia ediscere, memoria comprehendere.*" Idem praeter notissimas illas locutiones, *oratione, voce, versibus* aliquid *persequi*, contulit Cic. Sull. 14. „Constitui senatores, qui omnia iudicum dicta — perscriberent;

83 Sic anceps inter utrumque animus aestuat, cum et scripta perdidit et non quaerit nova. Sed de memoria destinatus est libro proximo locus nec huic parti subiungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

---

quos sciebam *memoria*, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime quae dicerentur *persequi* posse." Cf. Grysar. p. 375.

83. *scripta perdidit*] quod noluimus ediscere. *Wolff.*

libro proximo] XI, 2.

N D I C E S.

I.

INDEX HISTORICUS.

A.

Accius s. *Attius, L.*, tragicus poeta et annalium scriptor, qui vixit circiter 150 a. Chr. n., componitur cum *Pacuvio* 1, 97.

Achilles 1, 47. 50. 65.

Aelius, L., Stilo, grammaticus, philosophus, rhetor, quo M. Varro et Cicero usi sunt praeceptore, 1, 99. Cf. Bernhardy p. 326. et p. 190.

Aeschines, Athen. orator, vixit ab Ol. 97. 4. usque ad Ol. 116. 3. (a. Chr. n. 389—314.) 1, 22. 77. Cf. Westermann. §. 50.

Aeschylus, tragicus poeta, nat. Ol. 63, 4 (ut alii voluerunt Ol. 64, 4), obiit Ol. 81, 1. Cf. Boeckh. de graec. trag. principp. p. 46. sq. et Hermann. dissert. de choro Eumenidum in opusce. II. p. 144. — 1, 66.

Afranius, comoediae togatae scriptor 1, 100. Terentii aequalis. Cf. Bernhardy p. 196.

Alcaeus, Lesbius, poeta lyricus, Sapphus, Pittaci, Stesichori aequalis, floruit circa Ol. 42. — 1, 63.

Antimachus, Colophonius, Thebaidis auctor, circa Ol. 93, 4. floruit. — 1, 53.

Antipater Sidonius, 7, 19. Vixit Ol. 145.

Apollonius Rhodius, cuius exstant Argonautica, Aristophanis Byzantii et Aristarchi grammaticorum aequalis. 1, 54.

Aratus, Solensis, Phaenomenon et Prognosticon poematum, quae Cicero et Caesar Germanicus in latinum sermonem transtulerunt, auctor, circiter a. 270. a. C. floruit. — 1, 46. 55.

Archias, Aul. Licin., poeta, qui Antiochiae natus Ciceronis tempore vixit. 7, 19.

Archilochus, poeta, qui primus iambos scripsisse traditur. Floruit circa Ol. 20. — 1, 59.

Aristarchus et

Aristophanes Byzantius, grammatici Alexandrini, canonem Alexandrinum constituerunt, in eam optimos quosque scriptores priorum temporum receperunt, Apollonium aequalem omiserunt. 1, 54 et 59.

Aristophanes, poeta comicus. Vixit inde ab Ol. 84 — Ol. 100. Cf. Rankii proll. ad B. Thierschii Aristophanem p. CXC. — 1, 66.

Aristoteles, Stagirita, scholae philosophorum quos dicunt Peripateticos conditor, natus est Ol. 99, 1, decessit Ol. 114, 3. eodem anno quo Demosthenes. — 1, 88.

Asinius Pollio, C. Augusti aequalis, orator, historiarum de bellis civilibus scriptor, idemque poeta tragicus. Contra Cassium Severum dixit reo Asprenate 1, 22. defendit eosdem cum Messala 1, 24. de eo iudicium 1, 113. 2, 17. 25. — Cf. Thorbeckii commentationem de Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820.

Asprenas, C. Nonius, de veneficiis a Cassio Severo accusatus, defensus est ab Asinio Pollione. 1, 22. De Asprenate cf. Suet. Aug. 45. et 56.

Attius. Vid. *Accius*.

B.

Bassus Aufidius, Augusti ac Tiberii aequalis, librorum de bello Germanico nunc deperditorum auctor, quorum fragmentum exstat ap. Senec. suas. VI. p. 44 — 47. — 1, 103.

Bassus, Saleius, Vespasiani aequa-

lis, suspicante Wernsdorfio „carminis Panegyrici ad Calpurnium Pisonem" auctor. Cf. Baehr p. 88, 99. — 1, 90.

Bassus, Caesius, Persii poetae amicus, ipse poeta lyricus. De eius morte, quam eadem qua Plinius mai. Vesuvii eruptione obiit, cf. Baehr p. 193. — 1, 96.

Bibaculus, M. Furius, Cremonae a. u. c. 651. natus, iamborum scriptor, de quo disserit Weichert. Poett. latt. rell. p. 331. — 1, 96.

Brutus, M. Iunius, natus a. 669. u. c. Maior philosophus quam orator 1, 123. pro Milone orationem exercitationis gratia scripsit 1, 23. 5, 20. ob maximum legendi et scribendi et dicendi studium a Cicerone laudatur 7, 27. Cf. Ellendt. hist. el. p. CXXVII.

C.

Caecilius Statius, natione Insuber Gallus, Ennii aequalis et contubernalis, poeta comicus. Mortuus est 586. u. c. Eius fragmenta collegit Spengel. Monach. 1829. Cf. Bernhardy p. 192. — 1, 99.

Caelius, M. Rufus, orator facetissimus, eodem quo Calvus anno, h. e. 672. u. c. natus, ob mores deperditos ac variabile ingenium a vett. scriptt. notatur. Vid. Ellendt. p CIX. sq. — 1, 115. 2, 25.

Caesar, C. Iul. 1, 38. 114. 2, 25. De eo oratore v. Ellendt. p. CXXVI.

Calidius, Marcus, Ciceronis tempore vixit, dixit de domo Ciceronis 1, 23. Cf. Ellendt. p. CVII.

Callimachus Battiades, Cyrenaeus, princeps elegiae 1, 58., qui Propertio fuit exemplar. Cf. Weichert de vit. et carmm. Apoll. Rhod. p. 30. sq. — Docuit Alexandriae literas circiter ab Ol. 127 — Ol. 133.

Calvus, C. Licinius, orator, Catulli amicus. Natus anno 672. u. c. mort. circiter a. 707. Cf. Ellendt. p. CXVIII. sqq. — 1, 115. 2, 25.

Carbo, C. Papirius, 7, 27. ubi vid. annot.

Cassius Severus, ingeniosus orator Augusto ac Tiberio imperatoribus 1, 116. sq. Asprenatem Nonium veneficii accusavit, adversario Asinio Pollione 1, 22.

Catius, natione Insuber Gallus, Ciceronis aequalis, Epicureus phil. 1, 124.

Cato Uticensis, M., 5, 13.

Catullus, Q. Valerius, poeta lyricus. 1, 96. Natus Veronae a. 668 u. c. Cf. Bernhardy p. 234.

Catulus Volusenus 1, 24.

Celsus, Aul. Cornel., homo doctissimus, qui Tiberii tempore floruit. 1, 23. 124.

Cestius Pius, L., homo Graecus, qui Romae artem rhetoricam docuit. Rescripsit Ciceronis orationi pro Milone habitae. 5, 20.

Charisius, orator, qui Athenis Demosthenis tempore floruit. Dubitatur de orationum quae eius nomini addicuntur, vera origine 1, 70. Cf. Westermann. §. 54.

Cicero, M. Tullius. Nat. Arpini a. 648 u. c. mort. 711. Eius orationes pro Ligario et in Verrem commemorantur 1, 23. de eius domo dixit Calidius *ibid.* Ei dormitare interim videtur Demosthenes 1, 24. in poetarum lectione oratori requiescendum putat 1, 27. 5, 16. Thucydidem atque Xenophontem laudat, neque vero eos oratori putat utiles 1, 33. in Bruto millibus versibus de Romanis tantum oratoribus loquitur 1, 38. Livii in ep. ad fil. sententia de eius lectione 1, 39. Ipse a vetustissimis auctoribus plurimum fatetur se adiutum 1, 40. in medio dicendi genere omnibus praefert Demetrium Phalerea 1, 80. Demostheni comparatur 1, 105. sqq. de Calvo eius dictum 1, 115. de eo philosopho iudicium 1, 123. perversi eius imitatores 2, 17. non est satis, eum solum imitari 2, 24. stilum optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat 3, 1 In eius de orat. libris L. Crassi dictum 5, 2. Ipse vertere Graeca in Latinum praecipit ibid. Infinitis quaestionibus iam princeps in republica exerceri solebat 5, 11. Metrodori, Empyli, Hortensii

laudat memoriam 6. 4. veterum de successu extemporali sententiam affert 7, 14. Bruti laudat studium 7, 27. Ei placet, nullum usquam negligentem esse sermonem 7, 28.

Cinna, C. Helvius, Catulli sodalis, carminis summa cum industria ac temporis sumptu elaborati, quo Zmyrnam celebrabat, auctor. Cf. Weichert. p. 148—202. — 4, 4.

Clitarchus Alexandrum M. comitatus est resque ab eo gestas descripsit. Diod. II, 7. — 1, 74.

Clodius 5, 13.

Cornelius Severus, versificator melior quam poeta 1, 89, bellum Siculum versibus descripsit. De fragmenti quod ap. Senec. suas. VI, 19. „de morte Ciceronis" extat et carminis „Aetna" inscripti authentia v. Wernsdorf. Poett. latt. minn. T. IV. p. 33. sq. — Floruit Cornelius tempore Augusti.

Crassus, L. Licinius, orator suo tempore cum Antonio optimus. Cf. Cic. Brut. 37. et de orat. I. 52. Floruit circa a. 659 u. c., quo anno consulatum gessit. Vid. Ellendt. p. LXVIII. sq. — Cicero eius auctoritate usus est in libro de orat. I, 149. — 3, 1. 5, 2.

Cratinus, Atheniensis, poeta comicus, Aristophanis aemulus. Nat. Ol. 65, 2. decessit Ol. 89, 3. Cf. Meineke quaestt. scen. p. 14. sqq. 1, 65.

Crispus Passienus, orator, Neronis, teste Suetonio (Ner. 6.), vitricus. Insignis eius de Voluseno Catulo oratio. 1, 24.

Curetum proelium 1, 49.

D.

Decimus Laelius. Cf. Cic. de orat. II, 25: „Laelium Decimum, quem cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil ad Persium." Orationem scripsit pro Voluseno Catulo. 1, 24.

Delphicum oraculum 1, 81.

Demetrius Phalereus, Atheniensis, orator multi ingenii ac facundiae, sed suavitate maior quam vehementia, ultimus fere ex Atticis qui dici possit orator. Florere incepit circa Ol. 113, 4. Cassandro rege per decem annos Athenis praefuit usque ad Ol. 118, 2. Mortuus est in Aegypto Ol. 124, 2. Cf. Westerm. §. 74. Quintiliani et Ciceronis de eo iudicium 1, 80. Versicolore quadam veste usus dicitur 1, 55.

Demosthenes, nat. Ol. 98, 4. [99, 3.] mort. 114, 3. Cf. Westerm. §. 66. et Clint. F. H. App. c. 20. Pro Ctesiphonte contra Aeschinem dixit 1, 20. Ciceroni nonnunquam dormitare videtur 1, 24. Graecorum oratorum longe princeps 1, 76. 108. 2, 24. Ciceroni comparatur 1, 105. Studendi gratia in locum desertum se recondebat 3, 25.

Domitius Afer, Nemausensis, orator, quem omnium aetatis suae praestantissimum Quintilianus iuvenis audivit 1, 118. Eius de Virgilio atque Homero iudicium 1, 86. oratio pro Voluseno Catulo 1, 24. — Mort. Nerone imperante a. 812 u. c. Cf. Weichert. p. 246.

E.

Empylus Rhodius, de quo non satis constat, ea quae cogitaverat ad verbum in agendo retulisse traditur 6, 4.

Ennius, Quint., Rudiis a. 515 u. c. nat., mortuus Romae 585. Saturarum, tragoediarum, comoediarum auctor, quibus tamen carminibus multo clariores sunt eius libri XVIII annalium. De eius vita et scriptis vid. Baehr p. 78. Bernhardy p. 176. — De eo iudicium 1, 88.

Ephorus, Cumaeus, historiarum scriptor, Isocratis discipulus. Orator levis Cic. or. 67. et calcaribus egens 1, 74. — Cf. Clint. F. H. 373, f. et 374, g. Vixit circa a. 346 a. C. (Ol. 110, 1.).

Epicurus, philosophus, nat. Ol. 109, 4. Adolescens Sami habitabat, Athenas venit XVIII annos natus. Mytilenas et Lampsacum se contulit ibique docere coepit Ol. 117, 3., sed iam Ol. 118, 3. rediit, docuitque Athenis usque ad mortem,

[illegible]

G.

[illegible] Tibullo et Propertio iunior [illegible] 1, 89.

[illegible] *Augustus* (T. Fl. Domitianus). laudatur 1, 91. sq. Imperavit [illegible] 81 — 96 p. C.

H.

[illegible] 1, 96.

Herodotus, Halicarnasseus, histori cus. nat. Ol. 74, 1. De anno quo mortuus sit non satis constat, quanquam Ol. 92, 4. adhuc eum superstitem fuisse probavit Clint. s. h. a. 1, 73. 101.

Hesiodus, poeta 1, 52. Floruit, auctore Velleio, circiter ann. LXX Homero posterior.

Homerus Horatio interim dormitare videtur 1, 24. Summus eius laus 1, 46. sqq. Horatius et Tu[illegible]

[illegible] 1, 51. [illegible] 1, 92. [illegible] 1, 25. [illegible] 1, 45. sq.

[illegible] 1, 56. [illegible] 1, 56. [illegible] 1, 72. [illegible] 1, 34. [illegible] laudatur 1, 96. Nat. a. 799. mort. [illegible]

Hortensius. [illegible], orator, Ciceronis [illegible]. nat. a. 639. mort. 703 [illegible] a. 584. — Dixit [illegible] 1, 23. Cato et Marcius [illegible] 2, 12. memoria eius [illegible] Cf. Lanae spec. de Q. Hortensio. Lugd. Bat. 1810.

Hyperides, orator Atticus, Demosthenis et Lycurgi aequalis. Nat. [illegible] Ol. 98. [illegible] est ab Antipatro Ol. 114, 3. Cf. Westerm. [illegible] Dulcis et acutus vocatur 1, 77. pro Phryne dixisse [illegible]

I.

Isocrates, orator Atheniensis, nat. Ol. 86, 1. voluntariam obiit mortem Ol. 110, 3. cf. Westerm. [illegible] Eius iudicium de Ephoro [illegible] 1, 74. magis palaestrae quam pugnae accommodatus 1, 79. [illegible] Ciceroni attribuitur 1, 108. eius Panegyrici mentio [illegible]

Iulius Africanus, oratorum, quos Quintilianus viderat, cum Domitio Afro longe praestantissimus 1, 118. Nerone imperatore floruit.

Iulius Secundus, orator ipsi Quintiliano aequalis 1, 121. Nimia eius bene dicendi cupiditas commemoratur 3, 12.

Iuppiter, ab Iove incipiendum 1, 46.

L.

Laenas, Popilius, 7, 32. Cornelii Celsi aequalis.

Latro, M. Porcius, rhetor et declamator melior quam orator 5, 18. vixit Augusti tempore, „taedio duplicis quartanae semet interficit." Euseb. n. MMX.

Ligarius 1, 22.
Livius Andronicus, Tarentinus, omnium Latt. scriptorum primus 2, 7. histrio et poeta, tragoedias et comoedias scripsit et Homeri Odysseam in latinum vertit sermonem. Vixit circa annum 514 u. c.
Livius, Titus, Patavinus, nat. 695, mort. 770. Eius ubertas laudatur 1, 32., eius ad fil. epistolae mentio fit 1, 39. comparatur Herodoto 1, 101.
Lucanus, M. Annaeus, Cordubae a. 38 p. C. natus, mort. a. 65, Pisonis coniurationis particeps. Cf. Bernhardy p. 210. — 1, 90.
Lucilius, Caius, eques Romanus, Laelii et Scipionis Africani min. amicus, Suessae Auruncorum a. 606 u. c. natus, mortuus 651. Primus saturarum auctor, minus arte ac venustate quam sale et acumine excellens. De eo Fabii et Horatii iudicium 1, 93. 94.
Lucretius, L. Carus, eques Romanus, poeta, nat. 659, mort. 703. Cf. Eichstaedt. de Lucretii vita et carmine in sua ed. — 1, 87.
Lyrici novem 1, 61. ubi v. ann.
Lysias, orator Atticus, Athenis Ol. 80, 3., patre Cephalo Syracusano, natus est. Ol. 84, 2. Thurios abiit, unde Atheniensibus in Sicilia devictis pulsus Ol. 92, 2. Athenas rediit ibique multum passus infortunium mortuus est Ol. 100, 2. Ipse orator non prodiit, sed orationes scripsit aliorum in usum 1, 78. Cf. Westermann. §. 46.

M.

Macer, Aemilius, Veronae natus, mort. a. 757 u. c., poeta qui carmina *Ornithogonia* et *Theriaca* inscripta fecisse traditur. De eo et Macro Iliaco non confundendis scripsit Wernsdorfius, quem laudat Baehr. p. 144. — 1, 56. 87.
Marcellus, M. Claudius, orator, Ciceronis aequalis. Cf. Ellendt. p. CXXVI. ad Brut. 71. 1, 88.
Marcia, quam Cato tradidit Hortensio 5, 19.
Medea Ovidii 1, 98.
Menander, Atheniensis, novae comoediae princeps. Nascitur Ol. 109, 3., moritur Ol. 122, 2. — 1, 69, 70. 72.
Messala, M. Valer. Corvinus, orator nitidus et candidus 1, 113. coll. 1, 22. 24. 6, 2. Nat. a. u. 685, mort. 757. Cf. Ellendt. p. CXXX. sqq.
Metrodorus Scepsius. Cic. de orat. II, 88. Memoria excelluisse dicitur 6, 4.
Milo 1, 23. 5, 13.
Minerva 1, 91.

N.

Nicander, poeta, qui floruit circ. a. 150 a. C. Exstant eius *Alexipharmaca* et *Theriaca*. Quae scripsisse dicitur Georgica et Ἑτεροιούμενα, ea perierunt. — 1, 56.

O.

Ovidius Naso, P., poeta epicus 1, 88., elegicus 1, 93., tragicus 1, 98. Nat. a. 711 u. c. eodem anno, quo Cic. periit. Mortuus est Tomis exsul a. 777 u. c.

P.

Pacuvius, Marcus, tragicus poeta, Brundisii natus anno 535. „Vixit Romae quoad picturam exercuit ac fabulas vendidit. Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit." Euseb. Cf. Bernhardy p. 179. — 1, 97.
Panyasis, Halicarnasseus, Herodoti patruus, poeta clarus. Floruit circa Ol. 72, 4. Interemtus esse fertur Ol. 80, 4. Cf. Heyse quaestt. Herodd. p. 12. — Laudatur 1, 54.
Patroclus, 1, 49.
Pedo, C., Albinovanus, poeta, Ovidii aequalis et amicus. Exstant eius elegiae tres (inter eas *consol. ad Liv. Aug. de morte Drusi*), de quibus v. Wernsdorf. P. L. M. Tom. IV., p. 34, 229. sqq. — 1, 90.
Pericles, 1, 82.
Persius Flaccus, A., Volaterris a. 34 p. C. natus, mortuus 62.

Saturarum scriptor, 1, 94. 5, 21. Cf. Sueton. vit. Persii.

Philemon, comoediae novae poeta. Fabulas docere coepit ante Ol. 113. Mort. Antigono II. regnante. Cf. Clint. a. a. 330 a. C. — 1, 72.

Philetas 1, 58. Cous, grammaticus et poeta, ex quo multa hausisse dicitur Propertius. Quae exstant ejus fragmenta collegerunt Kayser et Bach.

Philistus, Syracusanus, historicus, qui res Siculas scripsit. Dionysiorum aequalis et amicus. Interfect. Ol. 106, 1. — 1, 74.

Phryne (Mnesarete). 5, 2.

Pindarus, lyricorum longe princeps 1, 61. 109. Boeckhio probante nat. est Thebis Ol. 64, 3., mort. Ol. 84, 3.

Pisandros, 1, 56. Camirensis Rhodius, qui circa Ol. 33. floruit. Cf. O. Muell. Dor. II. p. 475. sqq.

Plato, philosophus 1, 81. 108. Nat. Ol. 87, 4. obiit 108, 2.

Plautus, M. Accius, Sarsinensis, comicus poeta et histrio. Mort. Romae a. 576 u. c. Cf. Bernhardy p. 389. Laudatur 1, 99.

Plautus, Stoicus (al. *Plancus*) 1, 124.

Pomponius, L. Secundus, eorum quos Fabius viderat poetas tragicos, longe princeps. 1, 98. Mort. circa a. 60 p. C. in rebus bellicis et civilibus bene versatus. Cf. Reinert. de vita Terentiani §. 1.

Priamus, 1, 50.

Propertius, Sext. Aurel. 1, 98. poeta elegicus. Hispelli, Umbriae oppido post a. 700 u. c. natus, mortuus 739.

R.

Rabirius, C., 1, 90. carminis *de bello Actiaco*, ut nonnulli volunt, auctor, ipsi Virgilio a Velleio comparatus. Cf. Baehr. p. 81.

S.

Sallustius Crispus, 1, 101. Eius brevitas laudatur 1, 32. Cf. 2, 17. 3, 8.

Scipio Africanus, 1, 99.

Seneca, L. Annaeus, philosophus, nat. Cordubae 2. p. C. mort. 65 iussu Neronis, cui praeceptor fuerat. — 1, 125. 128. 129.

Servilius Nonianus, 1, 102. „diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris." Tac. Ann. XIV, 19. Mort. a. u. 813 eodem fere tempore quo Domitius Afer.

Servius Sulpicius Rufus, clarissimus Ciceroniano tempore ICtus, de cuius vita, studiis, scriptis et honoribus scripsit Ev. Otto. Ultraiect. 1737, Cf. Ellendt. p. CIII. Eius mentio fit 1, 22. 116. 5, 4. 7, 30.

Sextii, pater et filius, philosophi, per breve tempus paullo post Cic. floruerunt. Qualis fuerit eorum doctrina, pauci docent loci, quos laudatos invenies a Bernhardio p. 115 et 812. — 1, 124.

Simonides, poeta lyricus, patria usus insula Ceo, circa Ol. 56 floruit. 1, 64.

Socratici, 1, 81.

Sophocles, poeta tragicus 1, 67. Nat. Ol. 70, 4. mort. 93, 2. Alii aliam de ea re sententiam tulerunt. Lessingium de vita Sophoclis scripsisse constat.

Stesichorus, poeta lyricus. Florere coepit Ol. 38., mort. Ol. 56, 4. — 1, 62.

T.

Terentius, P. Afer, poeta comicus 1, 99. De eius aetate viri docti dissentiunt. Cf. Baehr. p. 65. sq., qui annum 561 u. c. probatissimum putat. Obiit in Graecia circ. a. 600.

Theocritus, 1, 55. Syracusanus, circa Ol. 126 vixisse traditur. Cf. Wuestem. proll. ad Theocr.

Theophrastus, philosophus, Eresi natus, successit Aristoteli praeceptori Ol. 114, 3. mort. Ol. 123, 4. oratori lectionem poetarum commendat 1, 27. ipse laudatur 1, 83.

Theopompus, Chius, natus circa Ol. 100, 3. Ἑλληνικά et Φιλιππικά scripsit. Cf. Clint. p. 385. Kr. — Alias de eius vita commentationes laudatas invenies a Westerm. §. 50. — 1, 74.

Thucydides, historicus. Natus Ol.

77, 2. De eius vita disseruit C. G. Krueger. Berolini 1832. — Laudatur 1, 33. 73. 74. 101. 2, 17.

Tibullus, Albius, eq. Rom., natus circa a. 700 u. c. mort. 735. Poeta elegicus. Cf. Bernhardy p. 289. — 1, 93.

Timagenes, Asinii Pollionis amicus. Cf. Senec. de ira III, 23. — 1, 75.

Tiro, Tullius, Ciceronis libertus, qui quae scripta reliquerat Cicero in ordinem redegit et edidit 7, 31. Tironiana scripsit A. Lion.

